DE MEDICIS ARABIBUS OCULARIIS

PROLEGOMENA

AD

ALII BEN ISA

MONITORIUM OCULARIORUM

EX COD. MST. IN LINGUAM LATINAM VERTENDUM EDENDUMQUE.

DISSERTATIO INAUGURALIS HISTORICO-MEDICA

QUAM

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS AUCTORITATE

IN ACADEMIA LIPSIENSI

PRO SUMMIS

IN MEDICINA ET CHIRURGIA ET ARTE OBSTETRICIA HONORIBUS

RITE CAPESSENDIS

DIE VIII. M. APRILIS A. MDCCCXLV

publice defendet

AUCTOR

CAROLUS AUGUSTUS HILLE,

Marklissanus,

MEDICINAE BACCALAUREUS.

DRESDÆ.

TYPIS BLOCHMANNIANIS.

Quamquam multa sint ad ipsas artes proprie non pertinentia, tamen eas adjuvant excitando artificis ingenium. Celsus.

Proœmium.

Hac solemni data libellum scribendi occasione, lingua Arabica haud ineptum quoddam argumentum praebere nobis videbatur. Nam cum diu jam nobis in gymnasio Dresdensi quod est ad aedem St. Crucis, versantibus studium linguarum semiticarum valde arriserit ac Viri summae auctoritatis et momenti, prae ceteris vero Ill. Ludovicus Choulantus, suasores ac testes fuerint, in literis praesertim Arabicis multa procul dubio, quae ad lucem proferantur, dignissima latere, primum quidem nos ad studium linguae Hebraicae contulimus, quo nobis ad Arabicam pontem quasi ac faciliorem transitum strueremus: nec parvum scholas Hebraicas ab Exc. Boettchero ingeniose habitas ad istud studium alendum et fovendum adjuvisse grato animo profitemur. Posthac vero cum in universitatem literarum Lipsiensem recepti simus, ad Ill. Fleischerum, virum classica morum urbanitate non minus quam doctrina exquisita praeclarum, omnibus artibus perpolitum, in docendo acutum et subtilem aeque ac comem et liberalem in colloquendo pervenimus, cui Viro, si quid a nobis praestitum fuerit, debemus. — Circumspicientibus igitur nobis in catalogo bibliothecae reg. Dresdens. obvius factus est liber manuscriptus Alii Ben Isa, de morbis oculorum agens: et hunc quidem elegimus prae ceteris, qui in promtu fuerunt, propterea quod non solum in integra artis medicae parte exponenda versatur, sed etiam quod quo primum nostrum studii linguae Arabicae specimen praebeamus, aptissimus vide-

batur et propter volumen nonnimis magnum et propter manum tam pulchram quam mundam et ad intellectum minus asperam. Et ita quidem ex hac parte ad historiam ophthalmologiae supplendam addidisse simul aliquid nobis videbamur, cum alii jam et novissime Exc. Andreae et Exp. Ritter artis ophthalmologicae apud antiquos historiam illustraverint, quos imitandos nobis proposuimus. Nec sine ullo fructu hoc fecisse speramus, utpote haec monographica dissertatio singularis cujusdam partis ex medicina depromtae historiam componat, et varias, quae inter Graecorum Romanorumque et Arabum ophthalmologiam et quae inter terrae, populi, religionis, imperii naturas et doctrinae progressus intercedebant rationes, illustret. Versatur quidem solummodo inter tempora transacta et in iis, quae antehac dicta sunt et praecepta, obtutum figit, nec desudasse videbimur multis nisi in exscribendis aliorum scriptis: verum tamen, quicunque animum subtilius et profundius intenderit, quid imperfectum adhuc sit et ad desiderandum ex monographiis facile intelliget, itaque tale opusculum et fontem praebet et stimulum, novum quid de arte quam tractat, et praestantius suscipiendi et spem ostendit feliciter id peragendi. Et quod ad haec ad Alii Ben Isa monitorium prolegomena, conatum saltem fecimus ex iis, quae quamlibet exigua de ophthalmologiae apud Arabes conditione deprehendimus, compositis imaginem quandam hujus artis apud illos adumbrandi: num voti nostri compotes facti simus, non Icariis pennis sublimiora temerarie petentes? viderint lectores benevoli, quorum arbitrio aequo atque humano dijudicandum hoc committimus.

Sed si qui sunt, qui studium linguae Arabicae si non ineptum esse, tamen ad praxin medicam faciendam nihil omnino conferre existiment, isti quaeso meminerint ac sciant, Arabes inde a saeculo post Christum natum nono usque ad Paracelsi aetatem fere solos medicinam non modo coluisse, sed etiam auxisse et studium horum medicorum partes in artis nostrae historia agere non ultimas. Ad praxin sane non multum refert hicce liber: bibliographicum sive historicum est ejus, si quid inest, pretium, quod tamen quoniam doctrinae ejusdem progressus commonstrat respectu ad ingenii humani cultum, in quo et illa radices agit, habito, ut

non illico intereat et in spe est et in votis. Est quidem genus medicorum egregium, qui panem et circenses conclamitare soleant, nec quidquam eruditionem veram curent, nec quaerant atque expetant, nisi quo lucrum sibi facere possint. Hi scilicet lubenter cum Leonardo Fuchsio aliisque contumeliose medicos Arabes opprobriis inquinant, neque hos reliquorum solum transscriptores esse accusant, sed „ex omnibus scholis tanquam seductores pessimos, adde carnifices etiam ipsissimos, funditus tollendos et proscribendos consulunt, quod bona quae in iis sunt, minime perniciosis paria existant.“ Licet enim et in scriptis Arabicis errores non minus quam in Romanis atque adeo Graecis deprehendantur, tamen aliquantum iis in arte medica deberi nemo est qui negare queat, nec viri est humani atque honesti tali modo in aliquem invehi, vel quod complures faciunt, indicta caussa condemnare et ullius auctoritati plus quam rationi ac veritati tribuere. Liceat jam vero nobis duas virorum in hac re admodum spectabilium sententias afferre; prioris auctor est Exp. Grunerus, qui in ista ad Jo. Jac. Reiske et Jo. Ern. Fabri opuscula medica praefatione, postquam per singula ivit, ita habet: „Ex his, quae adhuc commemoranda duxi, facile colligitur, non spernendos adeo esse Arabes, ut multis videtur. Latent enim in istorum monumentis bona, etsi non satis matura et hinc inde dispersa, artis medicinalis semina, neque virum decet, laboris taedia fugere, vel horridis incomtisque versionibus, quales exstant, deterreri, modo spes aliqua superest, fore, ut hoc ex fonte turbido quidam sapientiae rivuli deducantur,“ et idem paullo infra: „Tamen ob multa Arabum in medicinam merita et inventa in votis est, exsurgat tandem aliquando aliquis arabice doctus et artis medicae sciens, qui vel principes denuo latine vertat, vel potius me quidem judice ex hisce reliquiis [1]) propria et optima quaevis seligat, atque uno volumine omnem Arabum per tot saecula clarissimorum medicinam comprehendat, ut quantum pretium bonis illis hominibus statuendum sit, quisque intelligat.“

---

[1]) cf. Clar. Scheid. Or. de fontibus litterat. Arab. apertis, in usum disciplinar. latius multo recludendis. Harderov. 1767 et recus. in Cl. Oelrichs Belgii Litt. Opusc. Hist. Phil. Theol. T. I. nr. 3.

Altera sententia est Curtii Sprengelii in historia sua medicinae (Vol. II. §. 103, p. 471), qui postquam brevi Arabum in medicinam recensuit merita, studium linguae Arabicae a medicis nostrae aetatis negligi reprehendat. Historiam vero artis medicae, proh dolor, pessime multi negligunt et contemnunt, quamvis plurima ea faciat ad eruditionem medicam, ne dicam de commodis, quae iis largitur, qui et vitas medicorum bene meritorum et literas non solum ex aliorum scriptis cognoscere velint, sed eas ad ipsos usque fontes insequuntur: ut nimirum ingenii humani variis cultus gradibus educati progressus intueamur inducit, et docet, ut de variis, quas auctores deinceps fundaverunt et exstruxerunt disciplinas non leve ac temerarium, sed aequum justumque faciamus judicium, ut ea, quae bene hucusque arti nostrae facta sunt, pio gratoque animo teneamus, ut denique errores, quibus alios obcaecari cognovimus, ipsi prudentius evitemus, neve superbe sententiis gloriemur nostris, sed cum aliis tum nobis ipsi animo non minus ad credendum difficili quam modesto diffidamus. Aliorum temporum historia doctrinam monstrat conquiescentem, tenebris obductam, lacunis abundantem; alias nobis arrident gemmae quasi ac flores ejusdem revirescentis; hinc tradita sunt cogitata ac praecepta a viris sapientissimis; illinc affulgent ingenia candida, quae exempla accendant aemulationem ac virtutem.

Neque ullo modo eruditio medica classica, quo minus in praxi facienda proficias, impedit; illa potius harmonia, qua pariter cogitatio, ratio, experientia atque historia inter se sunt contexta, illa, nisi egregie fallor, exstitit Hippocrates pater et sol quasi medicinae, et qui destitutus est illa, indignus nobis videtur societate ac nomine Asclepiadeo. Quod insigniter comprobatur exemplis Sydenhami, Baglivii, Gaubii, Halleri aliorumque virorum immortalis memoriae.

At vero perquam verendum nobis est, ne in studii historici dignitate defendenda eaque collaudanda longiores simus; quod si jam factum est, ipsi rei praestantiae gravitatique totos nos ad se rapienti indulgeatis. Fecimus igitur versionem libri Arabici latinam, et latinam quidem non solum propter libri argumentum ex mediis, ut ita dicam, literis depromtum et propterea quod lingua

latina ad intellectum inter diversas gentes plurimum valet: neque ad verbum auctorem nostrum reddidimus, tamen, quantum fieri potuit, ne aut obscurior sit aut rudior dictio neve naturae scriptoris atque ingenio nimium detractum videatur, hunc secuti sumus; singularum partium vel morborum ea, quibus hodie medici ocularii utuntur, nomina, ubicunque haec certe vel cum aliqua saltem verisimilitudine substitui poterant, exhibuimus. Versionem autem eo a nobis consilio factam profitemur, ut quid profecerint in arte ophthalmiatrica Arabes, cognoscatis et ut meritae laudes, quas multi opera eorum hucusque vel ad magnam partem inedita vel saepe ex versionibus barbaris et incomtis cognita magis ac par est ignorantes et contemtim negligentes vel praestrinxerant vel omnino denegaverant, iis vindicentur, denique vero, ut ea, quam in ophthalmologiae historia relictam scimus lacunam, expleatur, haec publici juris esse voluimus: etenim de medicis Arabibus oculariis apud nullum hucusque auctorem paullo accuratius disseri sensimus. Jam vero exemplum auctoris arabicum ita literis est a nobis expressum et descriptum, uti in ipso libro manuscripto invenitur ad verbum usque, sed insertis justo loco iis, quae adjicienda in marginibus adscripta fuerunt: varias ibidem exhibitas lectiones et quae emendanda sunt, ubicunque, nec raro hoc factum est, ut Turca iste, quem librum descripsisse illico manus docet, linguae Arabicae parum gnarus per errorem lapsus sit, adjectis sub finem annotationibus citavimus breviterque commentati sumus.

Constituimus autem duas partes, quarum prior brevi adumbratione medicinae et ophthalmologiae apud veteres historiam exponet, itaque basin quasi ac fundamentum ponamus, quibus ea, quae altera parte continentur, facilius superstruantur: altera, qualis apud Arabes humani civilisque cultus fuerit conditio, referet; simul facit eadem cum ad ipsam Arabum medicinam tum versabitur in enumerandis iis, qui apud eos inclaruerunt medici ocularii, et libris, quos scripserint; istud vero, quod de anatomia, physiologia, nec non pathologia et therapia senserint ac praeceperint, generatim solummodo praestringetur, ne longiores simus, neve, quae ex insequenti versione latina intelligetis, uno eodemque volumine saepius decantata et contrita videantur: alia aliquando opportunitate

oblata hocce argumentum subtilius a nobis tractabitur. Praecipue vero pars altera extrema ad ipsum nostrum auctorem, Alium Ben Isa pertinet, et quid de ejus vita et operibus innotuit, recensebit, ac Monitorii sui ordinem et partitionem explicabit.

Conspectus librorum huc facientium,

quorum quum nonnulli passim citandi fuerunt, et literarum notis obsignatorum.

A. = Freind, Histoire de la médicine, 1727.
B. = Jöcher, Chr. Glb., allgemein. Gelehrten-Lexikon.
C. = Jo. Anton. van der Linden, de scriptis medicis, Lugd. Batav. 1662.
D. = F. Wüstenfeld, Geschichte der arab. Aerzte und Naturforscher. Göttingen 1840.
E. = C. Sprengel, Versuch einer pragmat. Geschichte der Arzneikunde. Halle 1821—28
F. = Assemani bibliotheca orientalis.
G. = Herbelot, bibliotheca orientalis.
H. = L. Choulant, Handbuch der Bücherkunde f. d. ältere Medicin. 2. Aufl., Leipzig 1841.
I. = Jo. Jac. Reiske et Jo. Ern. Fabri opuscula medica ex monumentis Arabum et Hebraeorum. ed. Chr. Godofr. Gruner. Halae. 1776.
K. = Jo. Alb. Fabricii bibliotheca graeca ed. vet. (to. XIII. elenchus medic. vet.)
L. = Alb. Hallerus, bibliotheca chirurgica (to. I.).
M. = Fr. G. Wallroth, de ophthalmologia veterum. Halae 1818. 8.
N. = Ge. Jos. Beer, bibliotheca ophthalmica. Vindob. 1799. 4. (Repertorium aller bis zu Ende des Jahres 1797 erschienenen Schriften über die Augenkrankheiten. Wien 1799).
O. = C. Glob. Kuehn, progr. exhibens indic. medicorum ocularioruin inter Graecos Romanosque I—IX.
P. = Joa. Ern. Imm. Walch, antiquitates medicae selectae. Jenae 1772. (Insunt: I. Sigillum medici ocularii Romani in agro Jenensi repertum. II. Sigilla medicorum ocularioruin apud veteres Romanos. III. Inscriptiones medicorum ocularioruin. IV. Quid sit medico imperare apud Alfenum Varum. V. Historia Asclepiadarum. VI. De medicina veterum lapidari. VII. De Pyrrhonismo medicorum veterum. VIII. De morbis veterum obscuris. IX. De venae cavae acuto morbo apud Aretaeum.)
Q. = I. H. Iugler, bibliotheca ophthalmica. Hamb. 1783. 8.
R. = Trillerus, progr. de var. medic. vet. collyriis.
S. = H. Orth. Fleischer, catal. codd. mst. orient. biblioth. reg. Dresd.
T. = Assemanus, biblioth. Mediceae Laurentianeae et Palatinae cod. ms. or. catalogus. Florentia 1742.
V. = L. Wachler, Handb. der Geschichte der Literatur. 2. Umarbeitung (2. Theil), Leipzig 1823.

X. = C. Glb. Kuehn, progr. I—IX. additamenta ad indicem medicorum a Fabricio in bibliotheca graeca ed. vet. Vol. XIII. exhibitum. Lips. 1830—32. 4.

Z. = Matth. Norberg, de medicina Arabum et de lepra Arabum. Londini Scanor. 1791. 4.
Redit in ejusd. opuscc. acadd. ed. Jo. Normanno, ibid. 1817 — 19. 8. Vol. III.

AA. = J. Amoureux, essai historique et litéraire sur la médecine des Arabes, Montpellier 1815. 8.

BB. = Simon Aronstein, diss. inaug. quid Arabibus in arte medica et conservanda et excolenda debeatur. Berol. 1824. 4.

CC. = Alois. Sprenger, diss. inaug. de originibus medicinae arabicae sub khalifatu. Lugd. Batav. 1840. 8.

DD. = F. Reinhold Dietz, analecta medica ex libris mss. Lips. 1833. 8.

EE. = Jo. Henr. Schulze, de Gandisapora Persarum quondam academia medica Diss., vide in comment. scient. acad. Petropol. XIII. 487.

FF. = Abul Pharagii, Gregor., dynastiarum historia compendiosa, ed. Ed. Pocock. Oxon. 1663.

GG. = Christ. Saxe, epist. de veteris medici ocularii gemma sphragide prop. Traject. ad Mosam nuper eruta. Traj. 1774.

HH. = Aug. Andreä, zur ältesten Geschichte der Augenheilkunde. Progr. Magdeburg 1841.

II. = Aug. Andreä, die Augenheilkunde des Hippokrates. Progr. 1843.

KK. = B. Ritter, Claudius Galenus Leistungen im Gesammtgebiet der Augenheilkunde, aus dessen sämmtl. Schriften gesammelt, geordnet und treu übersetzt; im Journ. f. Chirurgie und Augenheilkunde, herausgegeb. v. Dr. Ph. v. Walther und Dr. F. A. v. Ammon. Bd. XXXI. Neue Folge. Bd. I. 2. St. XI. p. 188—228. Fortsetzung i. d. 3. St. XVI. p. 346—408.

LL. = Carol. Aug. Goldhorn, de archiatris Romanis, inde ab eorum origine usque ad finem imperii Romani occidentalis diss. inaug. Lips. 1841.

MM. = Ludov. Hain, repertorium bibliographicum. Stuttgart et Lutet. Paris 1826.

NN. = Dierbach, die Arzneimittel des Hippocrates. Heidelberg 1824.

OO. = D. W. Triller, de scarificatione et ustione oculorum ab Hippocrate descripta. in ejusd. opusc. medic. Vol. I. 1766; ibid. recus. ejusd. de scarificationis oculorum historia antiquitate et origine, Viteb. 1754. Prog. I. et II.

PP. = J. Z. Platner, de scarificatione oculorum diss. Lips. 1728. 4.

QQ. = Bibliothecae Bodleianae Cod. Ms. or. catalogus. P. I. a Jo. Uri. Oxon. 1787. P. II. Vol. I. ab Alex. Nicoll. Oxon. 1821. P. II. Vol. 2. ab E. B. Pusey. Oxon. 1835.

RR. = L. Choulant, bibliotheca medico-historica. Lips. 1842.

SS. = A. G. v. Onsenoort, Geschichte der Augenheilkunde als Einleitung in das Studium derselben. Aus d. Holländ. mit einem Vorwort von C. W. Wutzer. Bonn 1838. 8.

TT. = K. Sprengel, Geschichte der Chirurgie. 1ster Theil. Halle 1805. Desselben Werkes 2ter Theil von Wilh. Sprengel. Halle 1819.

YY. = G. J. Beer, Geschichte der Augenkunde, 1stes Heft. Eine Einladungsschrift zu Eröffnung der Klinik für Augenkrankheiten im Jänner 1813. Wien.
XX. = Ibn Challikani vitae illustrium virorum. Ed. F. Wüstenfeld.
ZZ. = Bibliotheca Arabico-Hispana Escurialensis, op. Mich. Cassii. T. I. II.
AaA. = Lexicon bibliographicum et encyclopaedicum a Haji Khalfa compositum ed. Gust. Flügel. T. I. II. Lips. 1835—37.
BbB. = Abulfedae Annales muslemici, op. J. J. Reiskii, ed. J. G. Chr. Adler. T. I—V. Hafniae 1789—94.
CcC. = J. H. Hottingeri Promtuarium s. Bibliotheca orientalis. Heidelb. 1658.
DdD. = Ibn Abi Oseibiah's Lebensbeschreibungen (Fontes relationum de classibus medicorum) nach den Kapiteln der latein. Uebersetzung von Reiske (in dessen opusc. med.).
EeE. = Ch. F. Schnurrer, bibliotheca arabica, (Tub. 1799. 4.) Halae 1811. 8.
FfF. = J. v. Hammer, Fundgruben des Orients. Wien 1808.
GgG. = Ersch und Gruber Encyclopädie: Araber, Geschichte, Sprache, Literatur der.
HhH. = J. J. Reiske de Principibus Moham. qui aut ab eruditione aut ab amore literarum et literatorum claruerunt. Lpz. 1747. 4.
IiI. = J. Ch. Buhle de studii literarum graec. inter Arabes initiis et rationibus in Comm. Soc. R. Gott. 1791. vol. 11. p. 216 sqq.
KkK. = Joannis Leonis Afr. vitae medicorum et philosoph. quorundam Arabum, in Fabricii bibl. graec. vol. 13. p. 259 sqq. ält. Ed.

Ab initio igitur animum ad fontem et incunabula artis nostrae advertamus: et duabus praecipue de caussis hoc faciendum esse putavimus, et propterea quod complures eorum, a quibus libellum nostrum lectum iri spes est, in historia artis medicae minus sunt versati, et quod plerosque medicos Arabes in Graecorum Romanorumque scriptis vel imitandis vel in suam linguam vertendis occupatos fuisse scimus. Ita autem illico, quae intercedat inter Arabes et eos, quos secuti et imitati sunt, ratio dilucide apparebit.

Medicina, quam laesionibus et aegritudinibus generi humano fere aequalibus provocatam atque ab antiquissimis inde temporibus, et natura et casu et experientia compositam scimus, primum quidem vix aliud nisi rerum naturalium, praecipue herbarum quarundam salutarium, laesionum externarum et legum diaeteticarum notitiam complectens apud gentes per campos et montes vage peragrantes penes duces ac senes fuit. Dein vero certis quibusdam civitatum formis constitutis ad reges et sacerdotes transiit, et quia hi artibus

et prudentia ceteros superabant et quia divini aliquid morbis vel etiam sanationi subesse putabatur. Sic prima invenies vestigia medicinae apud Indos, tum apud Aegyptos, populos illorum temporum longe eruditissimos et sacerdotibus res divinas aeque ac medicas procurantibus, splanchnologia in consuetudine victimas inspiciendi et pura ab impuris secernendi originem habuit; diaeteticen autem variae terrae coelique vicissitudines procreaverunt, cujus rei testes sunt apud Judaeos leges Mosaicae secundum Aegyptorum exemplum praecepta etiam diaetetica exhibentes: pathologia demum radicem quasi habet in more Aegyptorum cadavera pollingendi, cui praecedebat eorundem dissectio a paraschistis (Diodor. bibl. hist. I. 91) genere hominum ceteris omnibus peroso ac contemto instituenda. Alius autem erat mos apud Chaldaeos, Babylonios atque alias gentes, aegrotos quos sanare patres familias ac senes non valuerint, in viis publicis exponendi, ubi qui accessissent, consilia vel remedia ab ipsis probata cum aegrotis communicarent.

Natura atque indole et populi et terrae Graecorum mirifice faventibus literisque ad eos delatis factum est, ut vel nobis tanta saeculorum serie inferioribus existant exempla, quae imitemur ac sequamur, dignissima. Primi jam, qui inter eos exsurrexerunt sapientes, non solum in fines rerum, animarum, siderumque coelestium cursum assidue indagabant, verum etiam quoniam ingenium eorum incorruptum ac sanum vix minoris id esse pretii intellexisset, in corporis humani physiologiam. Quod rerum naturae studium varia deficiente doctrina cum non nisi in praesagiis ac divinationibus versari potuerit, ingenti et mythorum et poëticarum translationum numero instructa et quasi obvelata invenimus eorum placita. Mythos illos ut arcana sanctos habebant sacerdotes, nec cum quoquam communicare solebant nisi cum suis vel cum esotericis sive mathematicis sic dictis et ad taciturnitatis jusjurandum adactis; ad exotericos sive acusmaticos ne minima harum rerum cognitio pervenit. Iidem sapientes vel philosophi, utpote et rerum naturae scrutatores et medici, quid senserint, quibus ad principia rerumque caussas proximas inquisiverint ratiociniis, quas protulerint hypotheses ac sententias maximo fuisse momento quoad medicinam excolendam, non erit ut fusius exponam; cuivis incorrupte inte-

greque judicanti animumque adverlenti etiam me non monente manifeste hoc apparebit. Videamus jam singulos brevemque conspectum scholarum philosophicarum praestantiorum ad medicinam magis facientium exhibeamus.

Pythagoras Samius (580—471 a. Chr. n.) qui peregrinabundus ad Orphicos, Aegyptia, Magosque in Persia cum venisset, societatem Pythagoreorum solitudini, continentiae, taciturnitati obedientiaeque officiis obstrictam constituit; dignitatem philosophiae in contemplando et admirando ordine, harmonia et ratione arithmetica rerum naturae positam; ex aethere, parte aëris purissima, caussam ac fontem animi agitationum ac motuum derivandum esse existimavit. Morbus cum sit laesio, sanitas est constitutionis integritas; sensus elementis quidem moveri censuit: in videndo agere aethereum, in audiendo aëreum, in odorando igneum, in sapiendo humidum, in tangendo terrenum.

Hunc secuti sunt Empedocles et Anaxagoras, fere aequales: quorum ille, Metonis filius (473 a. Chr. n.), Acragantinus, Parmenidis discipulus, et operis medici auctor, multa miracula edidisse fertur. Quatuor Empedocles statuit elementa, naturae divinae, animata, quarum mutua appositione mechanica res procreentur. Quorum ad elementa in organis sensuum disposita affinitas sive attractio sive amicitia ipsos movet sensus: itaque in oculum irruit lux mundi universi omnibus, quae cerni possunt, rebus inhaerens. Alter eorum, Anaxagoras, Clazomenius (502 a. Chr. n.) corpora sensibilia ex similibus, scilicet eadem conditione, forma, natura praeditis, principiis constare dixit (vocavit haec principia homoeomerias), quamvis diversae fuerint, ex quibus numen paria composuit, atomi principales.

Doctrinae atomorum sive philosophiae corpuscularis vel materialismi proprie sic dicti, ab Leucippo constitutae, antesignanus quasi exstitit tempore belli Peloponnesiaci Democritus Abderita, (469—404 a. Chr. n.) Physicus cognominatus. Hic pondere praeditas atomos et impenetrabiles esse voluit, quibus ad oculum prodeuntibus et cum ejusdem aqua confluentibus animae imaginem corporis percepti componi existimavit. Quos de medicina scripsit libros deperditos dolemus. Thaletem cum rerum originem ab aqua,

Pherecydem a terra, Anaximenem ab aëre repetiisse accepissemus, Heraclitus, Ephesius (502 a. Chr. n.) potius more populorum Orientis ab invisibilibus derivavit, ignemque principalem omnibus subesse, nec vitam suscitari nisi contrariis invicem pugnantibus, veluti in arcu atque in lyra nervis modo intensis modo remissis vel protrudatur telum vel eliciatur sonus docuit. Quod praeter somnum cum mente mundi communicemus in atmosphaera versante, fieri per sensus: quo connexu sublato rationis usus pessum daretur.

Societate Pythagorica caedibus Metapontinis diremta pauci qui evaserunt, immunes huc illuc dispersi, quam hucusque tacitam tanquam mysterium tenuerant doctrinam, aliis revelabant. His igitur et sic dictis exotericis, periodeutis puta, medicis terras cum remediis quae venum dabant, peragrantibus nec non gymnasiastis sive hominibus valetudini juventutis in artibus gymnicis exercitandae prospicientibus et denique etiam aliptis, generi hominum inferioris quidem notae, sed usu et experientia complures artes et remedia edoctis, ut medicinae, qualis tunc temporis erat, scientia in vulgus magis dimanaverit, debemus. Jam vero pervenimus ad Hippocratis aetatem, ubi propterea diutius nobis subsistendum erit, quia prae ceteris omnibus cum hunc tum Galenum, de quo paullo infra videamus, Arabes secutos esse inter omnes constat. Non quidem nostrum est, de singulis gentis Hippocraticae hominibus certare et disceptare, vel quae scripta Hippocrati sint vindicanda sincera necne, decernere. Hic de Hippocratis ejusque sectatorum placitis praecipue ophthalmologiae ratione habita sermonem facere nobis visum est.

Hippocrates II. Magnus cognominatus, Heraclidis et Phaenaretes filius et ex gente quidem Asclepiadarum ortus sacerdotum originem suam ab Aesculapio et Hercule petentium simulque morbo laborantibus per incubationem in templis opitulantium, praeceptores habuit in literis et patrem suum et Herodicum Selymbriensem, Georgiam Leontinum et ex nonnullorum sententia etiam Democritum Abderitam. Cum in multis terrarum regionibus periodeutes versatus esset, ultimos aetatis suae annos in Thessalia commoratus Larissae et diem supremum obiit et sepultus est. Iis autem, quae ipse et in tabulis cera obductis, et in corio scripsit, a posteris vel ambitiosis vel quaestuosis adjecti et subditi sunt libri obfuscati,

mutilati adeoque plane adulterini. Ipsi vero Hippocrati magnam observationum copiam praenotiones Coacae (in insula Coo. et in urbe Cariae Cnido florebant Asclepiadae quam maxime) a sacerdotibus die collectae suppeditarunt. Quod si Celsus Hippocratis esse dicit, quod medicinam a philosophia disjunxerit, ita est intelligendum: Hippocrates primum ac praecipuum scientiae rerum naturae ac morborum verae fontem experientiam dicit; qua comparata demum cogitando certas quasdam sententias ac rationes constituas. Minime vero respuit cogitationem immo medicum sapientiae amicum divinum censet virum.

Corpus humanum ex ejus sententia compositum est ex quatuor elementis sive potius elementorum qualitatibus (sunt calor, siccitas, frigus, humiditas): quibus respondent sanguis, pituita, bilis atra ac flava. His autem humoribus vel deficientibus vel nimiis vel perverse commixtis oritur morbus; rationibus justis restitutis iterum sanatur. Scientia ejus de anatomia quamvis parca fuerit, intellectum tamen ac persuasum sibi habuisse visus est, varias diversasque figuras nec non situs corporis diligenter observandos esse a medicis. De carne, hocce enim vocabulo musculos denotare solet, vix quidquam accuratius cognoverat. De arteriarum venarumque discrimine, deque vasorum et origine et decursu parum ei innotuerat; nec nervorum functiones intellexerat, sed nervos cum tendinibus ac ligamentis ubique confundit, eosque ea de caussa musculis atque ossibus inseri censuit, ut motus partium ex voluntate fieri possint. De splanchnologia non minori tenebatur errore; ita cerebrum glandulam mollem spongiosam habuit, quae humores ex toto corpore undique ad caput attrahat. Partium corporis singularum vero cognovit sympathiam. Optime tamen ac mirifico modo meruit de pathologia, ut qui sanae mentis judicio ingeniique acumine symptomata activa a passivis discreverit, ipsamque therapiam ita instituerit, ut diligentissima caussarum ratio habeatur. Caussae autem remotae (nimirum aër, venti et constitutio epidemica) ex ejus sententia ad morbi naturam atque indolem pertinent: periodos morborum constituit tres, cruditatis, coctionis, criseos: per coctionem enim humores acres et tenues redduntur mitiores et spissiores: quibus crises fieri soleant, dies nuncupavit criticos: in therapia a

vi naturae medicatrice et indicationes sumsit, et multum illi commisit. Artem sphygmicam non adhibuit, nedum cognovit. Arte diaetetica exquisita et ab ipso exculta cum in sanis hominibus tum in morbo laborantibus profecit: diaeta enim adjuves naturae consilia, promoveas coctionem viasque aperias: in quolibet morbo curando accuratissime et decursus morbi et constitutionis corporis et rerum supervenientium rationem habendam naturamque ducem ubique sequendam esse idem docet. Aeque magnum admiramur Hippocratem chirurgum; de vincturis chirurgicis enim doctrinam novam exstruxit et inter plura de trepanatione deque ossium fracturis callide praecepit.

De oculis autem Hippocrates scriptorumque nomen ejus prae se ferentium auctores ita fere sentiunt. Ex cerebro venae tenuissimae ad oculos procedunt, quibus humor ex cerebro subtilissimus ad visum necessarius advehitur: indidem septem humorum cursus morbosi: quibus retrorsum tendentibus partes faciei anteriores, praecipue oculi redduntur sicci, hebetes, et ex flavo virides. Oculus tribus instructus est tunicis, quorum externa densissima rupta, veluti vesica prolabitur media. Quaecunque clara refulgent, ea videmus: reliqua pars oculi carne circumdatur: pupula est nigra et propter fusca ipsius tegumenta et propterea quod profunde jacet; oculi humor est glutinosus et ad aërem emissus siccescit, veluti thus pellucidum, et apud homines et apud animalia. Semioticen oculorum Aslepiadeae valde excoluerunt: in morbis acutis ita praecipit Hippocrates: jaceat aegrotus in cubiculo subobscuro, facie non adversus lucem conversa, abstergantur oculi infirmi pannis linteis puris mollibus. In ophthalmia epidemica ceterum alternis incubet lateribus, et caveat a fumo et a quoque splendore; a capite vero omnino defendat humiditatem: oculum neque clausum diutius neque apertum teneat: nocent oculo lentes, poma dulcia, olera, et potus ex origano paratus. Symptomatologiam transeamus; exhibeamus solummodo breviter nomina eorum, quos ipse noverit, morborum: hordeolum, inversio et symphysis palpebrarum (ankyloblepharon, symblepharon), scabies et pruritus et nictitatio palpebr., blepharospasmus et lacrymarum (apud senes frequentissimum) profluvium.

Inflammationum oculi sedes quidem non discrevit; distinxit tamen ophthalmias humidas (Hygrophthalmias sive fluentes, quae commentatoribus sunt lippitudines) et siccas (Xerophthalmias), epidemicas et endemicas. Saepissime mentio fit nyctalopiae, quam ophthalmiam scrophulosam erethisticam, quae hodie vocatur, habendam censet Exp. Andreae (JJ.). Therapia in scriptis Hippocraticis simplicissima: remediis utitur vini potu, balneo, cataplasmatibus, venae sectione et purgatione. Remedia localia nisi cataplasmata ab Hippocrate non adhibentur: in universum autem omnia oculorum medicamina ab antiquis collyria nuncupari solebant. Collyria proprie erant panes forma rotunda, cylindrata vel cylindrato-acuminata, sicci, quales non solum oculis, sed et naso, utero, urethrae, ano, fistulis aliasque adhibebantur et posterius signis notabantur. Collyria ocularia, mox unice collyria dicta, sicca fuerunt vel humida: ista (xerocollyria) in formam pulveris redacta oculis vel inspergi (parapasta, empasta) vel inflari solebant: ad haec (hygrocollyria) pertinebant liquores (stactica) ab inflammationis initiis plerumque frigidi instillandi, et unguenta remittente dolore palpebris (hinc perichrista) vel ipso bulbo (enchrista) illinenda. Quatuor exstabant collyriorum genera, si vim eorum medicam respicimus: primum demulcentia et involventia, secundo styptica sive adstringentia, tertio acria, et denique narcotica sive anodyna (NN). Plura de therapia praecipiuntur in libris adulterinis: oculis fluentibus derivatio est instituenda apophlegmatismis; huc pertinent gargarismata, masticatoria, sternutamenta, diaphoretica, quibus irritis, in capite passim usque ad os incidendum est. Sanguine vero in pupulam effuso, pupula introrsum distrahitur, ac visus perquam turbatur; tunc venae pupulam prementes semperque pulsantes inter aures et tempora comburendae. Venis hac operatione clausis remedia humectantia administranda, quae secretione lacrymarum valde adaucta materiam peccantem abluant. Inter morbos ad oculorum nervos pertinentes commemorantur strabismus, rotatio sive potius nystagmus, pupulae immobilitas et dilatatio et contractio; scotomata et photopsia; nyctalopia, hemiopsia et diplopsia, amblyopia et amaurosis; inter morbos bulbi organicos primum quidem corneae ulcera et obscurationes, purgationibus et cauteriis

curanda; sanguinis detractiones dissuadet auctor. Prolapsus iridis sequi solet ex ejusdem sententia blennorrheas acutas. Glaucoma et cataracta s. suffusio obscurationes pupulae habentur, et promiscue utitur hisce vocabulis Hippocrates, propterea quod lens s. corpus crystallinum a corpore vitreo nondum discernebantur. De operationibus parum invenies in scriptis Hippocraticis: inter eas primum commemoranda est punctio corneae ad pus ex oculo evacuandum: dein cauterisatio, derivationis caussa et minori quidem gradu ligno buxeo fervido, vel spongiis et lana oleo fervido immersis, vel denique ferro fervido sed non candente instituenda (OO p. 463, p. 485). Nec minus usitata fuit scarificatio conjunctivae (OO; PP; Q p. 32): haec fieri solebat vel foliis ficulneis vel cultello concavo (Galenus), vel specillo asperato ligulatoque (Celsus; blepharoxyston Heisteri) vel carduis; et hanc quidem methodum post plura saecula Woolhousius (catal. operationum Woolhousianarum, cap. 17.; exstat in ejusd. libello de cataracta et glaucomat. p. 347 et 335) in medicinam oculorum introduxit, usque dum Burch. Dav. Mauchart, illius quondam discipulus, instrumentum, quo uti arcano usus fuerat Woolhousius, publici juris fecit (de ophthalmoxysi nov-antiqua s. Hippocratico-Woolhousiana diss. Tubing. 1726. 4., cf. Q. p. 32). Tumores in palpebrarum superficie interna radicitus exstirpantur. Ubi trichosis, ex sententia Exp. Andreae trichiasis quem nos vocamus, occurrit, per operationem est sananda (anabrochismus Galeni), ita ut filo inducto lamina palpebrarum cutanea externa contrahatur; sin secus iterum ac saepius id periclitandum. In inflammationibus et blennorrhoeis, quando ad extrema perventum est, profunde incidi debet usque ad os, sive in vertice (periscyphismus Pauli Aeginetae) sive in fonte (Hypospathismus ejusdem). Amaurosis quandocunque ex aqua inter cranium et meninges collecta vel ex conditione subtilium istorum humorum per venas cerebrales ad oculos quos nutriant, descendentium depravata fuerit exorta, trepanatione in osse cranii parietali instituenda sanetur. —

Inter auctores systematum philosophicorum praestantissimos referendus est primo loco Plato (430—348 a. Chr. n.) qui similem atque Hippocrates constituit caussam morborum proximam, nimirum

humorum depravationem, ex impari ratione et disharmonia quadam elementorum corporis physicorum exortam.

Sub Alexandro rege floruit Aristoteles, Stagirites, ex gente Asclepidea ortus, quondam pharmacopola, miro ingenii acumine praeclarus, qui non minus materiam sive empiriam placitis suis philosophicis substruxit: ad elementa quatuor aetherem adjunxit, quorum ad corporis functiones eam esse rationem docuit, ut verbi gratia aqua sit substantia principalis oculi, et visus fiat per lucem ipsam quidem incorpoream, sed corporum pellucidorum et motus et colorum fontem et caussam. Nervos diligentius dignovit, nervumque talpae ophthalmicum luculenter descripsit. Idem primus vasa sangnifera ex corde oriri, per tracheam vero pneuma vel aërem ad cor penetrare docuit. Ingentem animalium numerum Alexandri Magni liberalitate concessum ipse dissecuit; quapropter cerebro utpote sanguinis experti naturam frigidam et humidam tribuendam esse, ab homine tamen cetera animalia quoad cerebri magnitudinem superari ei est visum. Inter multos ejus sectatores eadem in rerum naturam inquirendi via pergentes inclaruit Callisthenes Olynthius qui et oculi structuram in opere quod de anatomia composuit, diligenter ac recte descripsisse fertur.

Aristotelem insecuta est alia nec minus illustris disciplina philosophica, Stoica enim a Zenone Cittiensi (340—261 a. Chr. n.) condita; qui ex empiria hauriendum esse verum mente sana communique intelligentia dijudicantibus, et hac de caussa naturae harmoniam esse perscrutandam ejusque legem et normam sequendam praecepit. Ex igni principali (sive numine, sive natura sive fato) secundum leges inviolabiles ut principio agenti cum omnia prodiissent eo perfusa, redibunt eodem. Ista vis perpetuo agens subest omnibus et corporis et animi functionibus. Visus igitur fit per aërem vel spiritum ex cogitationis sede ad oculum prodeuntem: temperamenta variis, in quibus animae natura posita est, exhalationibus efficiuntur. Nec mirum, quod longe plures quam a ceteris effatae sunt sententiae teleologicae a philosophis Stoicis, ut qui providentiam summa sapientia et benignitate praeditam propemodum soli agnoscerent ac venerarentur.

Sub umbra quasi et patrocinio Ptolemaeorum regum (circa ann. a Chr. n. 320) Alexandriae, ubi ex toto terrarum orbe undique confluebant homines, laete efflorescebant literae, prae ceteris vero poësia, philologia, ars mathematica, astronomia, geographia, et philosophia, quae per Pyrrhonem Elaeaticum et Aenesidemum Cretensem adepta est summam gloriam. Hi philosophi autem ad rationis et sensuum judicium omnia revocarunt. Nec defuerunt medici, qui neque somniis inprimis dogmaticorum temerariis deludi neque tela ratiocinorium aranea contexendo ipsi irretiri vellent, sed basi ac fundamento quam fieri posset firmissimo insistendum medicis, atque hac demum via in principia caussasque primas inquirendum esse, persuasum sibi haberent. Etenim dogmatici, ut de his mentionem injiciamus, nuncupari solebant Hippocratis et posteri et sectatores, inter quos praeter Thessalum et Draconem filios et Polybum Hippocratis generum eminent Diocles Carystius et Praxagoras Cous, Nicarchi filius, et hic quidem propter sollers anatomiae et pathologiae studium insignis; at vero hujus disciplinae asseclis mox accidit, ut summam observationum rerumque naturae investigationum admodum exilem ratiociniis quasi praecurrerent et neglecta in perscrutationibus sedulitate sincera argutiis vanis magnopere indulserint.

Sub hac rerum conditione, nec regibus Aegyptiis ab arte medica abhorrentibus, anatomia inprimis cadaverum dissectionibus, quas reges institui et jusserunt et quibus ipsi interfuerunt, haud spernendum cepit incrementum. Nomen et dignitatem vero maximam inter Alexandrinos consecuti sunt Chrysippi Cnidii discipulus, Erasistratus Ceus et Herophilus Chalcedonius, Praxagorae discipulus, qui tunicam oculi uveam descripsisse nec minus quam sexcentos homines facinorosos vivos naturae cognoscendae gratia dissecuisse dicitur. Exinde facile intelligitur, quantum isti viro prae ceteris medicinae partibus anatomia debeat; perfecit enim de subtiliori cerebri ac nervorum structura doctrinam. Idem vasa lactea primus animadvertit, venarum ictus et percursus rationem, modum respirationis et multa alia exposuit: in pathologia caussam plurimorum morborum in humoribus et pneumate, qui de locis suis aberraverint, quaerendum esse docuit. Plerique tamen eorum, qui ab his duobus

viris erant instituti vel eos sequebantur, potissimum de pharmacologia, de arte sphygmica et de haemorrhagiis scripserunt.

Inclaruit inter eos vero Demosthenes Philalethes, Imperatoris Vespasiani aequalis, quem opus de oculorum morbis apud antiquos celeberrimum composuisse Galenus prodidit. Alii dogmatici Hippocratis opera commentati sunt, inter quos praecipue laudatur Heraclides Erythraeus. At jam sub ultimis ex gente Ptolemaeorum regibus labefactata est et sensim subruta ista, qua excelluerat Alexandria literarum dignitate studiorumque sollertia. Quamvis enim larga manu ab istis regibus colerentur viri docti, tamen nimia istorum indulgentia corrupti, effeminati, libertate destituti, quod aliter in tali urbe omnibus vitae deliciis atque illecebris abundante evenire vix poterat, alii inertia sectabantur otia segnique luxu fatiscebant, alii superbia et invidia collegarum moti, assentationibus blanditiisque vernilibus regum favorem sibi parare et conservare studebant. Unde accidit, ut literarum studia prostrata jacerent, viris doctis in vana ostentatione defixis, et ut singulae artis medicae partes a reliquis disjunctae excolerentur et ordo singularis chirurgorum, et rhizotomorum s. pharmacopolarum constituerentur, quos vero medici despectare et quibus servitoribus suis et operariis uti solebant.

Expugnata ab Romanis Graecia et Asia minori permulti Graeci docti ex istis regionibus Romam confluxerant, ubi literas docendo quaestum sibi facerent. Nemo vero omnium apud Italos famam est nactus et floruit Pompeji Magni temporibus adeo, quam Asclepiades Prusensis, vir summae eruditionis maximaeque apud aequales auctoritatis, qui novam quandam et singularem ex disciplina sic dicta atomistica exstruxit doctrinae speciem. Habebat autem ita: Corpus humanum ex atomis circumlatis et fortuito ad certam quandam formam conjunctis compositum est: quibus in cavitate sua aut modice et aequaliter aut irregulariter sese moventibus nascitur aut sanitas corporis aut morbus. Neque ulla vis corpori inest elementaris neque ulla inter singulas ejus partes existit sympathia. Animam esse pneuma censet, idque versari ubicunque atomi subtilissimae subsint: ad eandem legem ac sententiam revocat pathologiam: crises vero et vim naturae medicatricem

omnino negat. Verum tamen, quam docuit et exercuit therapiam, tum generalis (Asclepiades autem medici esse dixit, ut tuto, ut celeriter, ut jucunde curet), tum specialis, ea est, ut non possit non collaudari et propter methodum, qua ipse utebatur, medendi minus incidentem, sed lenem ac prudentem, et propter sapientem, quem ordinavit, vivendi modum ac legem.

Inter plures ejus discipulos longe eminet Themison. Themison Laodicensis, qui Ciceronis temporibus vixit, Asclepiadis theoria magis excolenda empiriam cum dogmatica disciplina conjungere studuit, et haec est, quam dicunt methodum. Morbis communitates subesse dixit, sed etiam stricturam, laxitatem et qualitatem ex his duabus mixtam concessit. Sanitatem esse statum functionum normalem, morbum corporis affectionem existimabant methodici. Aetiologiam omnino vilipendebant, nimirum caussam proximam, in qua simul vera morbi natura sit quaerenda, ubique ad communitatem aliquam referri posse, caussas vero occasionales sive remotas, quantumvis ad procreandum morbum conferant, ad eum conformatum nequaquam amplius pertinere putabant. Indicationes nulla nisus naturae salutaris ratione habita et a communitatibus et a morborum stadiis, in morbis acutis plerumque secundum typum tertianum, repeti solebant; quod si indicationes a strictura aut remollitione desumtae effectum non praestiterunt, uti in morbis quibusdam chronicis, tunc metasyncrisin ponendam esse opinati, sic dictam recorporationem instituebant methodici, qua atomorum ad interstitia sive poros ratio celeriter immutetur, praevio resumtionis circulo, tonicis enim remediis corpus roborari debebat, quo melius metasyncrisis remediis acribus externe vel interne adhibendis fieri possit. Simul auctore Asclepiade, quo quid die ad morbum curandum fiat, maximi esse existimabant momenti. Prae ceteris vero excellebant in pharmacologiae studio, in quod amor quidam mysteriorum sensim subrepere coeperat, Dioscorides et Cajus Plinius Secundus major. Methodicorum numero adscribendi etiam sunt Cornelius Celsus, Soranus Menandri filius et Caelius Aurelianus.

Dogmaticorum scholae ab una parte oppositis Alexandrinis et methodicis, Asclepiadis sectatoribus, et tunc temporis florentibus

philosophis scepticis s. zeteticis auctore Pyrrhone, exstiterat ab altera parte disciplina empiricorum, qui medicinam ad empiriam s. autopsiam observando recordandoque comparandam revocabant, philosophiam ex medicina omnino eliminandam arbitrati. Empiriam vero quaerendam esse vel casu vel experimentis consulto instituendis vel denique analogia et comparatione similium, sed nulla naturae morborum signorumque habita ratione. Ubi propria empiria destitutus fueris, idem nihilominus et adeo facilius historia tibi largitur, siquidem et scriptis et autopsia aliorum prudenter utaris: quod optime continget ita, ut singularia a communibus separando distinctiones et definitiones (diorismos s. hypotyposas) tibi prolicias: nullo tamen pacto ratio tendere debet ultra ea, quae sensibus et percipi et comprobari possunt. Morbum conflatum esse docuerunt ex symptomatibus ubique eodem modo in corpus irruentibus. Quaecunque commune judicium popularemque intelligentiam superant, uti saepissime caussae morborum proximae, ope epilogismi Menodoti Nicomedensis ex signis manifestis explicabantur. A cognitione autem rerum obscurarum, et ab anatomia, atque a physiologia vehementer abhorrebant, nec non Hippocratis de indicationibus doctrinam improbabant; verum tamen methodus eorum medendi ab illa dogmaticorum vix differebat. Inter singulos prominent hujus disciplinae auctores Philinus Cous, Herophili discipulus, qui floruit Ptolomaei Philadelphi temporibus et Serapion Alexandrinus; dein Heraclides Tarentinus, Mantiae discipulus et inter ultimos Theudas Laodicensis. Plurimum proficiebant empirici in pharmacologia, praecipue in toxicologia, unde tantus alexipharmacorum numerus prodiit: neque omnino commentis libri eorum de ea re scripti carent.

Pneumaticos, qui auctore Athenaeo Attalensi pneuma scholae Platonicae et Aristotelicae loco syncrisis atomorum statuebant et in variis pneumatis cum corpore rationibus respectu quatuor elementorum (caloris, frigoris, humiditatis et siccitatis, ita enim vocabantur) habito morborum caussam positam habebant, conciliare studuit cum methodicis et empiricis Agathinus Spartanus (81 p. Chr. n.), itaque exorta est schola eclectica s. hectica s. episynthetica, quam secuti sunt Archigenes Apamenus et Aretaeus. —

Jam vero paullulum hic subsistendum est: pervenimus enim ad virum immortalis memoriae, ad Galenum; cujus cum vitam tum placita accuratius ac fusius exponemus, quoniam eum praeter Hippocratem praecipue secutos esse Arabes certissime constet. Exinde comparatis inter se Galeno et Arabibus facilius, quid ab illo depromserint, quidve proprium istis sit vindicandum, intelligetis.

Claudius Galenus, Pergamenus, Niconis architecti et insignis mathematici filius (E II. p. 132 sqq. P VII. p. 155; KK), a. p. Chr. n. 131[1] natus, egregie a patre suo institutus, ita ut primum quidem in ancipite medicorum conditione haesitans, postea tamen vere alter Hippocrates existeret, empiriam scilicet atque virtutem practicam cum justa quadam ac sana ratiocinatione et cogitatione conjungendo. Patre suo defuncto Smyrnam, Corinthum, dein in Syriam, denique Alexandriam se contulit, ubi non solum plures philosophos cognovit, sed etiam in anatomia multum operae laborisque consumsit. Hinc in variis terrarum regionibus peregrinabundus commoratus, et etiam Romae aliquoties versatus, et in docenda medicina occupatus, invidia collegarum mota, primum fugere coactus est: senex longaevus tandem obiit, uti verisimile videtur, Imperatore Septimio Severo. In ejus scriptis quamvis ubertas quaedam nimia sit reprehendenda, et credulitas ejus superstitiosa saepius offendat animum, neque omnino desideretur subtilitas quaedam dialectica, tamen pia et sincera numinis maximi veneratio stoico philosopho, ne dicam Christianae legis studioso, haud indigna, quae ex innumeris locis, ubi disertis verbis a natura sapientissime quaevis consulta convenienterque instituta demonstrat, luculentissime apparet, dein eruditio ejus exquisita, facundia docta persuadendique facultas egregia ingenium produnt singulare ac candidum.

Anatomiae cognitionem vix nisi ex animalibus praecipue simiis dissectis sibi depromsit Alexandriae; cadaver enim humanum explorandi rarissime et nisi fallimur, bis demum opportunitas ei obtigit. Nihilo secius aliquantum in hac scientia profecit: doctrinam de musculis nimirum, quos ex fibris nerveis et tendineis constare opinatus est, nec non de nervis multis modis excoluit. De penitiori autem oculi, quem propter splendorem cum sole comparat, structura ita habet (KK). Tribus stratis componuntur palpebrae:

internum est carnosum, medium cartilagineum, externum membranaceum: periosteum vero inde a margine orbitali super palpebrarum partem inferiorem transit ad iridem usque, ubi in corneam inseritur, inter laminas periostii duas stratum positum est pinguedinis tenacis cum particulis quibusdam fibrosis. Ex parte cartilaginea, tarsis puta, qua illa cutis duplicatura extensa tenetur, oriuntur, eaque ex foraminulis crebris, cilia ad instar valli, itidem ut faciunt palpebrae et supercilia, oculum munientia. Musculi admodum quidem tenelli, verum tamen antagonismo quodam palpebra superior et major ex voluntate moveri potest, inferior est minor et immobilis: at nunquam musculum illum, quem ad angulum oculi majorem situm arbitratur, ipse vidit Galenus. Ramos accipiunt et palpebrae et totus orbitae circuitus a nervo ex regione orbitali ad musculum temporalem ascendente. Musculos cognovit quatuor rectos, et duos obliquos, omnes ab angulo oculi majore ortos, quorum illi circa iridem conjuncti annulum latum et tendineum formant; hi vero oblique siti oculum convertunt. Alius musculus magnus circa originem mm. rectorum nervum ophthalmicum s. mollem et totum bulbi fundum complectens oculum tollit eumque paullulum invertens sustentat. Ex voluntate fit autem etiam oculi motus ope musculorum, quorum aponeurosis usque ad scleroticam et retinam pergit. Nervorum quidam plexus durior et minor, quam par nervorum opticorum, ad mm. oculi motorios pertinet, et denique cranium perforat.

Tunicis oculus exstructus est septem, invicem sese tegentibus: sclerotica, secundina, retina, arachnoidea, uvea, cornea, conjunctiva. Cornea est membrana tenuis quidem, sed dura, densa, pellucida, ad instar cornu bene rasi et extensi, quae humorem crystallinum tuetur. Pone corneam est humor aqueus; hinc splendor corneae et turgor apud vivos homines, post mortem vero vel etiam in senibus et in cataractae (suffusionis) operatione (paracentesi) collapsa et rugosa videtur. Pupulae loco principium quoddam esse spirituale inde probabat Galenus, quod uno oculo clauso alterius pupula dilatetur et quod pupula animalium ab interna parte sufflata etiam dilatetur et intendatur. Simplex ejusdem contractio s. phthisis, quae apud senes et in uno solummodo oculo obvia ex debilitate vel meatibus superioribus obturatis exoritur, cornea adhuc integra, idem ei com-

probare videtur. Hoc autem ita est comparatum, ut ariditas, quam dicunt glaucosin, et nimia humoris crystallini rigiditas impediatur, eo magis propterea, quod naturale humoris crystallini tegumentum concentrice compositum, et subtilius et tenuius quam texta aranea, anteriorem solummodo humoris crystallini partem obit, posterior vero nuda ab humore vitreo excipitur. Illa nervi optici ramificatio, quae ex oculo remota particulae cerebralis speciem ac similitudinem prae se fert, a nonnullis propter similitudinem tunica retina nominatur, cujus est, ut sensus ad humorem crystallinum delatos percipiat; hanc nutrimentum suscipere ab humore vitreo, vasorum et copia et magnitudine probatur. Tunicam vero retinam complectitur membrana choroidea orta ex meninge cerebri pia, quae quum sit exstructa fasciculis vasorum, dicta est uvea; per nonnulla autem subtilia ligamenta vel canaliculos, quibus nutrimentum adducatur, cohaerent inter se tunica choroidea et retina. Nervus opticus, quem Herophilus et Eudemus meatum vocabant, utpote foramine spectabili instructum, a tergo bulbum intrat; in fundo suo praebet speciem cribrosam, pars ejus peripherica est durior, centralis, per quam vel potius per cujus foramen centrale multum pneumatis a cerebro ad oculum pervenit, mollior. Pluribus autem partibus nervi optici a reliquis cerebri nervis differunt: primum vix duriores, sed densiores quodam modo sunt et arctius conjuncti. Dein ab utroque latere anteriorum usque ad nasum tenui membrana separatorum cerebri venticulorum, quasi ex thalamo, nervus admodum plenus ac mollis procedit per foramen satis magnum ad bulbum. Neque ignorat Galenus, quod nos dicimus chiasma nervorum opticorum, quos figuram literae X praebere et decussatim ac invicem separatos procedere observavit. Eam, qua visus fiat, rationem mathematice explicat; quae huc non afferenda nobis videntur, ne longiores simus. Haec hactenus.

Ceterum corporis functionibus, Aristotelis more, vires, earumque tria substravit genera: primum vitales, cordi inhabitantes, quibus fit pulsus et pneumatis respiratio. Pars maxima quidem aëris inspirati excernitur; pauxillum modo pneumatis id est aëris emendati et purgati vel cum potus particula per venam arteriosam ad cor delatum ibidem in ejusdem ventriculo sinistro sanguini admi-

scetur: quare sanguinis fit circulatio. Secundum genus, vires enim animales in cerebro positae, impellitur pneumate, quod ex spiritu vitali paratum cum sanguine ad cerebrum defertur, unde anima simul cum corpore afficitur et mutatur. Sensus certis quibusdam viribus animae ditioni addictis moventur. Tertium denique genus hepati insitum, functiones s. vires naturales, quo pertinent generatio, nutritio, et corporis incrementum, efficiuntur pneumatis naturalis ope in vasis omnibus circumlati. Ceteras intestinorum functiones naturales ad vim attrahentem, retinentem, mutantem s. alterantem, et expellentem revocat, motum autem musculorum ad contractionem, remissionem, motum continuatum et tonum s. tensionem. Ad quas vires accedunt elementa a corporis originibus probe distinguenda, ut quae sensibus bene percipiantur, istis cum corporum natura non ubique congruis. Ab elementis primas corporum qualitates derivavit; temperie (κρᾶσις) effici secundas, quae sensibus possint percipi; quo pertinent sapores et odores varii, porro durities, mollities, humiditas, frigiditas, caliditas et siccitas. Quod si qualitates elementares materiae attractae cum iis organi attrahentis congruunt, attractio vis naturae primaria, maxime valet. Ex quatuor corporis humoribus praecipuis, inter quos et qualitates istas summa intercedit similitudo, sanguis quidem qualitatum elementarium aequalium est progenies; ex ceteris vero, quoniam in pituita praevaleat aqua, in bile flava ignis, in atra bile terra, temperamenta explicantur.

Sanitatis, ut temperiei omnium corporis elementorum penitus aequalis, notionem strictam proprieque dictam experientia non ubique admittit; itaque euexiam in justa quadam inter partes solidas et humidas ratione positam adesse dixit, ubicunque corpus dolorum expers functiones suas solitas expedite exsequitur: quibus functionibus laesis, aegrotat corpus. Passionem vocat Galenus motum functione laesa suscitatum. Caussa morbi habetur id, quo primum functiones impediuntur; sunt vel remotiores vel proximae, occasionales (proegumenae) vel praeparantes (procatharcticae) et hae in humoribus aut nimiis aut depravatis plerumque quaerendae. Parum tamen conferunt ad morbum gignendum caussae remotiores. Symptomata vel epigenemata dicuntur ea, quae morbum sequi sensibus percipis, et vel ad functionem laesam vel ad formam et figuram

vel ad excretiones pertinent; morbus autem ipse vel ad partes aequales s. simplices vel ad organa. In partibus igitur simplicibus vel unum praevalet elementum vel duo. Hinc octo diversae prodeunt dyscrasiae: contra organorum morbus vel ad numerum vel ad figuram vel ad quantitatem vel ad situm refertur. Continuitatis laesio vero et in partibus simplicibus et in organis locum habere potest. Humorum depravationem quamlibet, a Galeno semper putredinem vocatam, a quavis humiditate loco calido, ubi evaporari nequeat, inclusa oriri censuit. Inflammationum quatuor constituit genera, inflammationem pneumatoden (erethisticam?) accedente pneumate, phlegmonoden, mero sanguine, erysipelatoden bile flava et denique scirrhum bile atra provocatam.

In prognosi statuenda Galenus majus quam in diagnosi morborumque speciebus diligenter observandis ēt describendis studium consumsit, aliqua, uti videtur, ambitione motus. Remediorum vim ad qualitates primarias revocavit, necessario secundarum qualitatum respectu habito: diversi virium gradus, erant autem quatuor, duabus qualitatibus primariis constitui solebant: vires vero proprias a facultatibus remediorum probe esse discernendas monuit. Rationes inter singula organa et remedia specificas revocavit ad similitudinem qualitatum elementarium: neque omnino medicamenta admodum composita et adversus varios casus commendata undique coëmere respuit. In therapia generali Hippocratis praecepta, praecipue illius de indicationibus et diaetetice doctrinam sectabatur; nec sine successu chirurgiam et docuisse et exercuisse videtur. —

Imperatoribus Romanis luxu effreni ac profuso solutis, omniumque moribus miserrime depravatis, superstitione non solum insana, sed etiam libidinibus foedissimis flagitiisque turpissimis ubique superbo atque impio imperio prementibus, turbis bellicis undique pacem artium nutricem labefactantibus „apparent rari nantes in gurgite vasto" qui commemorentur digni inter medicos Graecorum Romanorumque: dico nimirum Oribasium, Imperatore Juliano florentem, qui ex medicorum classicorum scriptis septuaginta composuit libros et quem de educatione infantum physica egregie praecipiendo bene meruisse confitendum est. Sequitur in horum numero Aëtius Amidensis, temporibus Justiniani I. natus,

qui et methodicorum et empiricorum praecepta cum Galeni placitis commiscens libros scripsit magna quadam quod ad symptomatologiam diligentia conspicuos.

Aëtio fere aequalis est Alexander Trallianus, qui Romae praxin medicam faciens et multifario usu atque experientia exstructus non solum primus complures Galeni errores reprehendit, sed etiam more Hippocratico in morbis curandis, quae propria sint aegrotorum aetati, viribus, constitutioni vivendique consuetudini nec non anni tempori coelique rationi, diligenter quaerendum esse docet. Idem et vim naturae medicatricem accurate observandum et sano rationis judicio medendi methodos subjiciendas esse commonet. Alexander Trallianus, quamquam in ipsius scriptis non omnino desiderentur ineptiae theosophicae et remedia theurgica, tamen et Oribasium et Aëtium aliosque, qui ei praecesserant, longe superavit egregio rationis lumine candidaque orationis libertate.

Inter ceteros medicos, et propemodum omnes ad istud domicilium quasi eruditionis classicae jamjam dilabens se contulerunt, Alexandriae studiorum caussa versantes initio saeculi post Christum natum VII floruit Paulus Aegineta, auctor libri, non solum, ut Oribasii scripta fuerant, ex antiquis compilati, sed propriis etiam observationibus instructi, qui cum chirurgiam tum artem obstetriciam exercebat, et hanc tanta manus dexteritate tamque felici successu, ut ab Arabibus tunc temporis (a. p. Chr. n. 640) Aegypto potitis cognomen magistri artis obstetriciae acciperet; idem et periodeutes et iatrosophistes cognominatus est. Arthritidem esse depositionem in articulis ex indigestione vitiosaque nutritione debilitatis factam existimat, quocirca ex delicate otioseque vivendi ratione saepissime exoritur. In inflammationibus oculorum acutis cum incipientis amaurosis signis arteriotomiam commendat: fusius agit de oedemate palpebrarum: pterygium vel operatione facta saepe redire asseverat; in cataracta ab amaurosi distinguenda primus pupulae s. iridis sese contrahendi facultatem respicit. Propter tumores et pumice et blepharoxysto, proprio quodam instrumento palpebras fricari jubet: palpebras prolapsas vel inversas incidit; ptosin anarrhasi, entropium catharrasi sanat. —

Inter Imperatores Byzantinos etsi familiae, quae ex Comneno et Duca nomen acceperunt, literis faverent, nullum tamen exstat ex isto tempore opus nisi collectiones ex antiquis institutae et complures de arte veterinaria tractatus inferioris notae; quae in hocce libello, a quoquam vehementer desiderari omnino negamus. —

Jam vero ophthalmologiae cum historia medicinae universalis arctissimis sanctisque pietatis, ut ita dicam, vinculis conjunctae mentio brevis adjicienda est, supra jam praemissis Hippocratis et Galeni de ea placitis, ne eorum, quae de eadem in monitorio subsequenti invenietis, rationes et cum doctrinae magis minusve proficientis caussis connexus obvelentur.

Originem et fontem quasi ophthalmologia cum medicina universali habet communem, quacum, deficiente chirurgis manus dexteritate, intime fuit conjuncta. At tamen posthac a chirurgis magis magisque proficientibus gremio quasi est excepta; primum quidem a circulatoribus exerceri solebat. Neque apud ullum antiquitatis populum a certo quodam ordine tractabatur, nisi apud Aegyptios, ubi Herodoto et Prospero Alpino testibus, in singulis ac gravioribus quibusdam corporis morbis curandis singuli medicorum vel sacerdotum ordines occupati fuerunt: ita alii morbis oculi, alii capitis, alii dentium, alii abdominis, alii internis et occultis mederi solebant. Nec mirum hoc, quoniam et hodie in Aegypto natura atque indole terrae parum mutata blenorrhoeae oculi et inflammationes creberrime occurrere inter omnes constet, sive ortae fuerint istae inflammationes ex aëre nocturno humido frigidoque sive ex pulvere subtilissimo in aëre suspenso, sive vaporibus ex fimo camelino combusto, sive ex ardore solis ac splendore, sive e tegumentis calidioribus capiti imponendis, sive ex ventis aestuosis (vulgo audit hic ventus Samum), sive aliunde (geograph. Nosologie, v. Fr. Schnurrer, Stuttg. 1813, pg. 58, 312.). Hinc necessario animum ad morbos oculorum intendere debebant, et sapienter hoc institutum est, quod ordo quidam singularis in his curandis occupatus esset. Itaque et inter libros sex Hermaeos unus agit de arte ophthalmiatrica, et medici Aegyptii ocularii tanta erant et apud suos et apud exteros dignitate et auctoritate propter dexteritatem suam et virtutem practicam, ut Cyrus rex Persarum medicum ocu-

larium inde arcesseret. Parum quidem de eorum in hac re placitis et remediis accepimus, tamen in mortuis arte medicatis oculos vitreos vel ex vitro metallico factos repertos esse referunt (HH). Ad Graecos demum cum venissent literarum notitia atque artes, ingenio miti, placidoque Graecorum animo faventibus, ophthalmologia in formam disciplinae sensim redacta est.

Perquam magnus quidem medicorum inter Graecos Romanosque ocularioruni numerus, quorum nomina ad nos pervenerunt: sed non eadem est artis apud eos ophthalmicae dignitas, quoniam minus remediorum copia ponderanda ac nomina numeranda quam singulorum potius virtutes et merita aestimanda videantur, ubicunque de scientia ac literis agitur. Unde sequitur, multos eorum medicos ocularios, quorum nomina vel antiquorum scriptis vel inscriptionibus et sigillis (K — R; GG) non ex alia caussa memoriae prodita sint, quam propterea, quod unum alterumve collyrium inventum ab iis sit et divenditum, oblivioni non fuisse eripiendos. Namque non myropolae solum, servi et liberti, sed et ingenui, vix tamen arte professi oculorum curam gloriabantur, quapropter artis dignitas est exstincta, collyriorum vero copia ab hominibus ad eam vim adaucta, ut turbido isto flumine Romam septigeminam tantam, quanta est, inundare posses. Reliquis omnibus igitur omissis mentio solummodo fiat Euelpidis (Evelpidius, —istes, —istus, —ectus: K p. 156), quem Celsus (l. VI. c. 6) maximum suae aetatis medicum ocularium habet, et qui bene distingui debet ab altero Euelpide, Phlegetis filio, inter chirurgiae professores referendo (X. IV. p. 6). Summam vero inter antiquos laudem retulit Demosthenes, Massiliota, discipulus Alexandri Philalethis, Philalethes et ipse cognominatus (X. III. p. 6; Q. p. 72). Liber ejus inscriptus est ophthalmicus (X. III. p. 7), in quo auctorem de plurimis oculorum morbis et de instrumentis ad eos tollendos excogitatis accurate exposuisse inter omnes veteres, qui de eo referunt, constat. Nec plus de ejus opere servatum esse, quam pauca a Simone Januensi et Matthaeo Sylvatico collecta valde dolendum est.

Sed quoniam mens nostra non sit, subtilius exponere, ea, quaecunque in libris de tota medicina majoribus a Graecis Romanisque de ophthalmologia passim exhibita legantur, jam his de

universalis medicinae artisque ophthalmiatricae monitis absolutis, transeundum est ad Arabes, et primum quidem de artium literarumque apud eos conditione generatim pauca sunt expedienda.

Rebus in occidénte ita comparatis exstiterunt Arabes, populus magna quadam animi alacritate et cogitationis ubertate insignis, qui exigua antiquae sapientiae jam et obfuscatae varioque modo mutilatae a Graecis residua acceperunt. Natura atque ingenio ad artem poëticam, ad historiam, ad mercaturam impellebantur: nec potuerunt non compluribus de caussis doctrina atque artes ab iisdem cultae accrescere. Finitimi enim erant sedi et foco quasi scientiarum, urbi quondam celeberrimae, Alexandriae, hinc et edocti ab illis, quas in orientis solis partibus condiderunt scholas asseclae sectae Nestorianae a Graecis expulsi, evaserunt Persae atque Arabes eruditissimi. Prae ceteris vero inclaruit urbs, quam dicunt Dschondisabur in provincia Khuzistan, ubi in nosocomio non solum aegroti curabantur, sed etiam medici arte instituebantur.

Multum etiam contulerunt ad scientias inter Arabes propagandas praeceptores ex academia, quae floruerat Edessae, et philosophi Platonici Athenienses ab Imperatore Justiniano expulsi: ex cujus scholae ruinis Nisibena consurrexit. Nestorianorum inprimis conditionem fuisse meliorem apud Arabes, quam aliarum opinionum Christianarum, quia Muhammedus usus fuisse Nestoriano praeceptore communiter creditur, testis est Assemanus (F. IV. p. 96); idem a chalifis eos ad regimen provinciarum, urbium, oppidorum', praefectos eosque adhibitos fuisse scribas et medicos, quorum in Christianos suae sectae auctoritas tanta fuerit, ut neque patriarcharum electiones neque ecclesiastica negotia ipsis inconsultis conficerentur, memoriae tradidit.

Arabes enim vero, cum tenuissent peninsulam montibus, desertis, maribus a ceteris populis disjunctam, gentium singularum duces sequi et circumvagantes sollicite terra marique mercaturam facere soliti fuerant. At Muhammedi lumine exorto inde ab a. p. Chr. n. 611, quo ille vir primum sacrorum formula mutata novam legem ac religionem constituit et praedicavit, vivo animi impetu et sublimi quodam ardore concitati pro religione sua Syriam, Palaestinam, Persiam ad Euphratem fluvium usque, arma tulerunt fortia

et victricia, nec minus secundo Marte expugnabant Africam septentrionalem et Hispaniam. Quam ingentem imperii amplitudinem cum vix uno saeculo exacto consecuti essent, doctrinae atque artes qualescunque vitam exornare et excolere valent, felicem apud eos portum ac perfugium assecutae egregie revirnerunt. Sub Ommiadarum regno (654—749 p. Chr. n.) parum quidem in literis profecerunt Arabes: conditas jam scholas vix permanere sinebant, animis regum summa finium armis perferendorum et superstitiosa quadam religionem suam longe lateque propagandi cupidine ardentibus. Abbasidis vero imperio petitis (a. 750) etiam literis sub chalifarum umbra et auspiciis paratum est refugium, et omnibus vitae jucunditatibus deliciisque fruebantur victores. Ita etiam medicorum ocnlariorum neminem sub Ommiadarum imperio invenies florentem.

Majorem paene gloriam ac florem assecutae sunt mercatura, artes et literae in regnis Arabum occidentalibus: ita in Mauritania sub Edrisitarum dynastia et in Hispania Abderrhamano II. et III. regnantibus. A chalifa Alhakem academia Cordubae est instituta, quae decimo jam saeculo ita vigebat, ut bibliotheca ducenta quinquaginta millia voluminum contineret, et catalogus eorum quadraginta quatuor volumina expleret, et undique illic ex omnibus Europae regionibus literarum studiosi confluerent. Neque exigua fuit scholarum fama; prae ceteris omnibus florebant autem Hispalis, Toletum, Murgis. Bibliothecae in Hispania saeculo XII. deprehendebantur septuaginta. Nec destituta erant eruditione cetera Arabum regna: summas laudes retulerunt scholae medicae, academiae et bibliothecae in urbibus Borsippa (Kufa). Forath (Basra, Firuzabad, Tribactra (Bokchara), Damascus et sub Fatimitis regibus Alexandria. Omnium vero scientiarum ingeniorumque et conjunctio et refugium fuit ipsa urbs Bagdad, ab chalifa Almansor condita, ubi et academia est instituta et legibus mandatum, ut, qui praxin facere vellent medicam, tentamen coram medicis ad hunc finem electis subirent. Simul nosocomia et medicinae publicae nec non bibliothecae erant conditae; et vel chalifae iis quam maxime favebant, et ipsi scholis medicorum quorundam et philosophorum celeberrimis interfuerunt. Almamun, qui in imperio chalifae Harun al Raschid clarissimo successit, libros antiquos

Graecorum Romanorumque in linguam Arabicam a Syris et Judaeis transferri jussit; quibus interpretibus perquam industriis Graecis quidem praefuit Joannes Mesve, medicus Syrus Christianus, Persicis vero Joannes Ibn Batrik, qui etsi Almamuni libertus, et Arabice minus eleganter loquens, majore ipsius philosophiae quam medicinae peritia, tamen in libris medicis vertendis non modo fidus fuit, sed felix etiam in sensu reddendo. Praeterea urbs regia Bagdad exstructa et ornata fuit variis institutorum generibus, et rerum naturalium operumque artificialium thesauris, et speculis astronomicis, et officinis chemicis; virique docti ibi versantes societatis vinculo continebantur. Jam breviter singularum artium literarumque apud eos conditiones percurramus.

Primum quidem, ut qui uterentur lingua vetustissima, copiosissima, ornatissima, non potuerunt non dicendi genus vario modo perpolire, regulas ac rationes grammaticas magis magisque excolere et propria animi ubertate et aliorum populorum usu et consuetudine. Poësia terrae hominumque indolem quam maxime prodit; nullibi enim invenies, qualia apud Arabes, carmina tam nobilia, tanta translationum copia figurarumque abundantia, imaginibus distincta tam decoris, tam sublimem fervidumque animum spirantia. Eloquentia quidem apud eos libertate destitutos, et imperio iniquiori pressos ab omni propemodum fortuna fuit derelicta, neque aliud quidquam ausa est efficere, quam innumeris proverbiis ac sententiis nugari ac ludere. Vere tamen meruerunt de geographia, mathematica, et astronomia cum astrologia intime conjuncta: nam et ipsi huc coeli ratione vivendique modo ferebantur, et a principibus hae artes insigni liberalitate ac munificentia juvabantur.

Philosophi Arabes non admodum severo ac strenuo ad ultimas rerum caussas indagabant studio, sed minutissimis dialecticae argutiis dignitatem ac laudem sibi parandam censebant et inanibus saepenumero subtilitatibus enucleandis totos sese dedebant, ita ut propemodum omnes scholae Alexandrinae posteriori imitandae sequendaeque insisterent. Doctrinam enim sic dictam emanationis, cujus prima vestigia ad Zoroastrem philosophum Bactriae antiquissimum et ad Indos redeunt, placitis Pythagoricis et Platonicis, commentis theosophicis Judaeisque, spinis cabbalisticis, captionibus sophisticis

mirum in modum inter se commixtis philosophi Alexandrini excoluerant, vel potius depravaverant.

Ex ista disciplina autem philosophica, quae omnes ab uno quodam lucis fonte daemones provectos doceret, et secta Therapeutarum, quae nomen accepit a mystica Dei veneratione et quae degendae vitae ratione in contemplandis et cognoscendis rebus divinis posita finem bonorum generi humano conciliandum esse censebat, prodiit et altera secta medico-theosophica, Essaei nimirum, qui a. 150 a. Chr. n. inter Judaeos Alexandrinos exorti integritate vitae et sinceritate nec non pietate erga Deum morumque castimonia maximam apud aequales dignitatem atque honorem adepti sunt, morbos autem theurgica magis curatione medicare solebant. Alia illius disciplinae philosophicae progenies fuit astrologia atque alchymia, quae utraque apud Aegyptios, Arabes ceterasque gentes Asiaticas rerum arcanarum et mirabilium cupidissimas gremio excepta est: prae ceteris vero chemiam Arabes studio et amore summo amplexi sunt. Attamen propria suae gentis natura ducti circulatoriae cuidam vanitati et gloriae plus quam veritati tribuerunt. Ita fuisse (A. II. p. 106 sqq.) accepimus, qui se maculas quasdam oculi tollere posse gloriati sint: qui vero, priusquam oculo admittant manum, ei immittant mira quadam manus dexteritate particulam ligni albidam, et qui postea operatione facta hanc esse materiam peccantem dicant. Unde accidit, ut astrologiae, uroscopiae artisque sphygmicae subtilitatibus potissimum quod ad prognosin magis, quam par visum est, indulgerent. Negari vero nequit, pharmaciam et pharmacognosiam aliquantum ab iis esse lucratam. Ita in alchymia Gebri (nomen ejus est: Abu Musa Dschafar al Sofi), saeculo octavo post Chr. n. viventis commemorantur mercurius corrosivus, merc. praecipitatus ruber, acidum nitricum et aqua regia, et multa alia. Ex officinis plures ac novae medicamentorum formae prodierunt: plura ab Arabibus accepimus nova medicamina, inter quae unum solummodo hoc afferam, camphoram enim, remedium efficacissimum, ingeniose quondam cum clava Herculea comparatum. Primum etiam dispensatorium medicum circa finem saeculi noni editum medico scholae cuidam praefecto debemus.

Anatomia quidem quin excoleretur a medicis Arabibus non solum, qua mortuos persequebantur gentes antiquiores, religio et verecundia prohibebant, sed ipsa etiam lex sacra Muhammedis; plerumque igitur medicos Graecos secuti sunt, et in his praecipue Galenum, qui artis medicae rationem atque usum jam imperio suo tenebat: nihilominus occasionibus aptis singularum corporis partium structuram cognoscendi, quales in ossariis offerebantur, uti non recusabant. Eadem de caussa physiologiam eorum in ratiociniis magis versari, quam experientia fulciri liquet, quamquam passim medici ingeniosi, quae postea usu et experimentis comprobata sunt, recte cogitando senserint et intellexerint. Medendi methodi fuerunt apud eos propemodum eaedem atque apud Graecos Romanosque. Nosologia tamen cepit maximum incrementum, cui plura ac diversa morborum genera adhuc ignota adjecerunt, eaque ab ipsis diligentissime observata et ad veritatem descripta: huc pertinent (J. IX) variolae, morbilli, rubeolae, spina ventosa, inflammatio et abscessus mediastini, pericardii abscessus et cum corde concretio, bronchotomia gulaeque relaxatio, lepra.

In chirurgia nomen àc singularem gloriam adeptus est Albucasis, a quo uno exstat de chirurgia liber inter scriptores Arabes relictus. De ejus placitis hoc imprimis videtur memoratu dignum, quod anatomiae in praxi chirurgica dignitatem probe intellexerit; de ejusdem tractationibus statim cuivis ejus libros inspicienti apparet, maximam prae ceteris omnibus habitam fuisse cauterii utilitatem, et cauterium quod dicitur potentiale, a crebro apud illos usu vocatum fuisse ustionem Arabicam prodidit Freind (A. II. p. 209). Idem de medicinae historia auctor morem fuisse Arabum similem dicit atque Romanorum temporibus Imperatorum ultimis viventium, ut nimirum medici honorati et nobiles, praesertim in urbibus praxin facientes infra dignitatem suam habuerint cognoscere operationes quasdam simplices et chirurgicas, nedum unquam tales facere: sed servitoribus et ministris relictum erat, venam incidere, cauteria applicare, cataractam declinare, et quae similia.

Veniendum est nunc tandem ad eos, quorum caussa non solum ad ophthalmologiae, sed ad artis medicae etiam apud antiquos conditionem atque historiam in universum respiciendum esse putavimus.

Jam vero propter numerum medicorum oculariorum inter eos non admodum magnum hic, non secundum patriam, unde orti fuerint ea, quae de eorum vitis et scriptis innotuerint, afferemus, sed potior sub hac rerum conditione nobis videbatur aetatis, qua degebant vitam, ratio. Facilius sine dubio tunc, quomodo temporis cursu ars ab iis sit exculta, libros eorum inspicientibus apparebit. De iis autem, qui obiter tantummodo in scriptis suis totum medicinae corpus complectentibus de ophthalmologia mentionem injecerint, sermo hoc loco esse nequit: alia forsitan data occasione singulorum de singulis dicta et praecepta hinc inde dispersa conciliabimus suoque justo loco exhibebimus. Hic de vitis et scriptis eorum disseramus, quos speciatim vel de oculorum morbis scripsisse, vel in iis curandis occupatos fuisse proditum est.

Summam inter primos medicos praecipue Syros Christianos, quibus chalifae perquam favebant, Arabibus paucis demum medicinae studio addictis, adeptus est gloriam Abu Zeid Honein (vulgo audit Joannitius) Ben Ishac Ben Soliman Ben Ejjub el-'Ibadi, ex stirpe Arabica Christiana Ibad, circa Hiram urbem habitante ortus, pharmacopolae filius, natus a. 194 (809), qui adolescens bene institutus in urbem Bagdad ad audiendum medicum Jahja Ben Maseweih sese contulit, cujus factus est amanuensis. Quem ob nimium discendi ardorem et percontationes praeceptori molestas relinquere coactus, cum per biennium regiones Graecas et Basram urbem peregrinabundus peragrasset, rediit in urbem Bagdad, ubi praelectiones habuit medicas celeberrimas, quibus vel Dschabril Ben Baktischua, chalifae Harun al Raschid medicus interesse solebat.

Quo factum est, ut chalifa el-Motawakkel, ad quem fama ejus pervenisset, eum, postquam probitatem ac fidem haud leviter quidem tentaverat, sed probatum ac fidelem expertus est medicum, suae salutis custodem redderet. Optime vero de medicina meruit, quod auctoritate ac jussu chalifae et ipse solus et cum filio suo Ishac, plurima Graecorum scripta, nimirum Hippocratis, Galeni, Dioscoridis, Porphyrii, Pauli Aeginetae, Aristotelis, Ptolemaei (Almagestum), Archimedis, Euclidis et Nicolai ad libros quosdam Aristotelicos commentarium in linguam Arabicam transtulit. Et mira quadam industria ac sedulitate prae ceteris Arabibus Honeini

gens in Graecis praecipue vertendis publicique inter Arabes juris faciendi antecellebat. Inter ea, quae ipse protulit in medium, praeter introductionem in medicinam etiam de oculorum morborum divisionibus, de medicamentorum ad oculi aegritudines delectu et de oculi morbis ferri ope curandis auctor fuit. Obiit autem miseris Christianorum jurgiis et de simulacrorum figurarumque cultu altercationibus obrutus, et dein Tiphurio potissimum, Christiano librario, omnium hominum invidiosissimo, instigante, a Theodosio episcopo, quamvis ipse diaconus fuisset, excommunicatus est et dissecta ipsi zona: domum autem suam reversus eadem nocte subitanea morte interiit a. 260 (873).

Dschabril, medicus ab oculis chalifae el Mamuni, qui cum amplissima floruisset auctoritate, postea in offensionem ejus incurrisse traditur. Num quid scripserit de ophthalmologia nos latet.

Sequitur jam auctor nostri monitorii, cujus en vitam.

Ali Ben Isa s. Isa Ben Ali (Jesu Haly) medicus ocularius et philologus, quem vulgo filium Alii Ben Abbas habent, Christianus, discipulus fuit Honeini Ben Ishak, de quo supra jam sermo fuit, claruit sub Enos et Joanne Patriarchis circa a. 263 (885) in urbe Bagdad; et nominatur etiam in Abu Oseibiae vitis celebrium medicorum (J. observat. XVI p. 44. 47) capite octavo inter medicos Irakenses seu qui Bagdadi sub Abbasidarum chalifatu floruerunt. Occupatus autem fuit et libris in linguam Arabicam transferendis et morbis oculorum curandis. Postea vero eum et Davidem Abul Hosein egregium ejus sectae medicum Nestoriana secta relicta fidem Graecorum amplexum esse tradidit Assemanus (F. II. 445).

Cognominatus est el-Cahhal, s. ocularius, quod vocabulum derivatur a Cohol, quod Turcae vocant Surmeh. Est autem hoc proprie pulvis antimonii crudi, stibium (στίβι, στίμμα, πλατυόφθαλμον, ὀφθαλμόγραφον, τὸ καλλιβλέφαρον scil. φάρμακον) cui vim adstringentem et refrigerantem inesse dicit Plinius (h. n. XXXIII. 34.), et quo illito supercilia et palpebrarum crepidines cum ciliis obfuscare solent Orientales, et adeo id sub forma collyrii, xerocollyrii puta, in morbis oculorum adhibetur. Hinc fecerunt chemici occidentales alcohol (alcol s. alcool) quo pulvis subtilissimus et pollinis farinae tenuissimae instar fere inpalpabilis designatur. Istud inprimis ex.

Persiae urbe Hamadan propter mercaturam celeberrima arcessitur. Verum tamen medici Arabes, qui de collyriis tractant, quando commemorant alcohol Persicum, potius genus quoddam gummi intelligere videntur nomine Anzerur, quod vocamus sarcocollam, et quae siccata farinae thuris est simillima (G. III. p. 361).

Tria vero Alii Ben Isa referuntur scripta: primum quidem Lexicon s. explanatio vocum exoticarum ex Syriaco in Arabicum (D p. 39. nr. 97.) quod Hottingerus in lexico suo harmonico excepit. Equidem affirmare autem nolim, num ille cum eo unus idemque sit, de quo (QQ p. 211) haec leguntur: CMLXVII. Codex chartaceus, multiplici scriptus manu, in quo reperiuntur: 11. Ali Ben Isa Organopoei de Planisphaerio tractatus folia decem et tria complectens. Sequitur dein titulus et auctor literis Arabicis exhibiti. Magis vero nostra interest liber Alii Ben Isa, cui inscriptum est Tedhkireth el-Kahhalin (G II. 352; S p. 36 nr. 244; K 253). sive monitorium oculariorum, de morbis scilicet oculorum eorumque curatione, quem amici id ab eo petentis precibus ut satisfiat ex majoribus Galeni et Honeini libris composuisse ipse in praefatione ait, cui pauca tantum de iis, quae aut a praeceptoribus artis suae accepisset aut ipse usu didicisset, adjecerit. Facile ex ista epistolae mentione obiter facta error prodire potuit, per quem lapsus esse videtur Assemanus, qui praeter istud monitorium etiam epistolam ad quaestiones quasdam sibi de oculorum morbis eorumque remediis propositas scriptam esse a nostro auctore dicit (T p. 251).

Exstat autem codex hicce Arabicus chart. orient. fol. 154, 4. min., charact. neschi scriptus in bibliotheca regia Dresdensi (S p. 36 nr. 244) et prae multis aliis codd. mst., ut jam supra dictum est, magna quadam manus, qua scriptus est, munditie excellit, quamquam descriptoris Turcae inscitiam literariam non ita rara et desideranda et peccata prodant. —

Habemus quidem jam versionem monitorii latinam pluribus editionibus editam, sed horridum est et barbarum in ea dicendi genus et aegre ferendum, quod quicunque inspexerit, negare nequit. Inscriptum est versioni: de cognitione infirmitatum oculorum et curatione eorum, et accedit editionibus vetustioribus chirurgiae Guidonis de Cauliaco (p. Chr. n. 1363) chirurgi sui temporis ingeniosissimi, Venet.

1497 f.; ib. 1499 f.; ib. 1500 (H p. 339 § 85); ib. 1506 (E II. p. 461): ita igitur occurrit junctim in collectione chirurgica Veneta, Venet. 1497 f. impr. per Bonet. Locatellum Bergomensem octavo Kal. Mart.

Continentur hac editione: Chyrurgia parva Guidonis (de Cauliaco). Cyrurgia Albucasis cum cauteriis et aliis instrumentis. Tractatus de oculis Jesu Hali. Tractatus de oculis Canamusali. Venetiis per Bonetum Locatellum octavo Kal. Martias 1497. Acced.: Leonardi Bertapalia Paduani Chirurgia, seu Recollectae super quarto canonis Avicennae. Venetiis apud Octavianum Scotum 1497. (cf. MM. Vol. I. p. 2. nr. 4810. p. 82; H § 130 p. 416;) negat autem Choulantus editione hujus collectionis chirurgicae priori, Venet. 1490. f., ap. Octav. Scotum, eadem atque hac anni 1497 exhiberi).

Venet. 1499 f., impensis Andreae Torressani de Asula, per Simonem de Luere, die 23. Decembr. Inscriptum est: Chyrurgia Guidonis de cauliaco de balneis porectanis Cyrurgia Bruni Theodorici Rolandi Rogerii Lanfranci Bertapalia Jesu Hali de oculis, Canamusali de oculis. In fine: Explicit liber de curis omnium passionum oculorum quem fecit et composuit Canamusali philosophus de Baldach. Venetiis Impressus (impensis dni Andree Torresani de Asula) per Simonem de Luere .23. mense Decembris 1499. Feliciter. — (Fol. 279.; cf. MM, Vol. I. p. 2. nr. 4812 p. 83).

Venetiis 1500. f., sumtibus heredum quondam Nobili viri dni Octaviani Scoti, Modoetiensis, per Bonetum Locatellum presbyterum sexto Kal. Februar.

Titulus: Cyrurgia parva Guidonis. Cyrurgia Albucasis cum cauteriis et aliis instrumentis. Tractatus de oculis Jesu hali. Tractatus de oculis Canamusali. Ad finem: Explicit liber de curis passionum oculorum quem fecit et composuit Canamusali philosophus de Baldach. Venetiis per Bonetum Locatellum presbyterum Mandato et sumtibus heredum quondam Nobili viri domini Octaviani Scoti Modoetiensis. Anno dni MCCCCC sexto Kal. Februarias. Fol. 269. dein sequitur signatura. —

Quis fecerit versionem illam certo dici nequit; an fortasse idem magister Gerardus Cremonensis (a. p. Chr. n. 1114—1187), qui in urbem Toletum se contulit, ubi maximam vitae suae partem

commoratus, cum non solum Albucasis chirurgiam (legitur enim sub finem chirurgiae Albucasis in coll. chir. Venet. 1500: Explicit liber cyrurgie quem transtulit magister Gerardus Cremonensis et quae seq.), sed etiam Avicennam (J p. XII), et plurimos medicos Arabicos et integrum Galenum in latinam linguam vertit' (E II. p. 528), dicere non ausus sim.

Monitorium Alii Ben Isa autem est tripartitum: prima pars anatomiam et physiologiam oculi tractat, secunda et tertia ad pathologiam ac therapiam ejus morborum specialem pertinet, ita quidem, ut secunda agat de morbis externis et patentibus, tertia vero de internis et latentibus earumque investigatione et diagnosi et cura. In fine (p. 296—309) brevem adjicit recensum alphabeticum remediorum, quae in morbis oculorum adhiberi solent. Singula qui scire cupiant, hos ad ipsam libri versionem subsequentem delegamus.

Magna apud Arabes utebatur auctoritate Abu Jacub Ishac Ben Soleiman el-Isrâïli (vulgo Isaac Judaeus), Aegyptius, cognominatus et Israelita et Isaac Judaeus Salomonis regis Arabiae filius adoptivus, eruditionis elegantia ingeniique acumine insignis, qui cum in patria sua inprimis in morbis oculorum curandis occupatus fuisset in Mauritaniam sese contulit; quo cum pervenisset a rege gentis Aglabitarum nomine Zijadetallah cum exercitu Larissae versanti, ad quem medici fama pervenerat, invitatus est praemisso congiario. In urbe el-Ceirowan sedem ac domicilium constituit, ubi adhuc et disciplina Isaaci Ben Amran utebatur. A. 296 (918) postquam Abu Muhammed Obeidallah el Mahdi imperio Africae potitus est, ut hujus principis valetudines regat mandatum ei est, et aetate gravissimus et caelebs liberisque carens obiit a. 320 vel 330 (942 vel 952).

Inter libros, quos scripsit, ipse praestantiores habuit quatuor eosque melius ac certius, quam liberos, ipsius laudem ab oblivione hominum et a silentio vindicaturos existimavit: primo loco dicendus est liber de febribus, quinque partibus constans, cujus et epitome ab Abdollatipho facta exstat et versio latina; dein de alimentis et medicamentis simplicibus; de urina; et de elementis; ceterum de diaetis universalibus et particularibus; de diaeta, de

pulsu arteriarum, liber definitionum et praescriptionum, viaticum. Reliquos minoris momenti transeamus.

Pervenimus jam ad medicum inter Arabes spectatissimum. Hic est Abu Bekr (Abubater, Albubeter, Bubikir) Muhammed Ben Zakarijja el-Râzi (Rasis, Rhazes), mercatoris filius, ex oppido Rai in Ariana (Chorasan) ortus ibique in humanitatis et philosophiae, potissimum vero artis musicae studiis bene versatus, usque ad annum aetatis suae tricesimum citharoedus famam collegit. Simul eum et argentariam fecisse a nonnullis accepimus. Qui vivendi modus cum infra dignitatem suam ipsi positus esset visus, desiit ab eo, et in urbem Bagdad ad medicum Ibn Zein el-Thaberi sese contulit; ubi summo studii ardore medicinam et philosophiam adeo amplexus est, ut in patriam reversus nosocomio ibidem instituto praefectus sit, et postea ei summa rerum in nosocomio Bagdadensi demandata sit, et mederetur chalifae Moctader Billah. Varias et longinquas suscepit peregrinationes; lustravit Hierosolyma, et in Mauritania ad principem ex dynastia Aglabitarum, Zijadetallah III. pervenit. Ab Almansore, Arianae principe invitatus, cum in ejus urbe versaretur, auctore Leone Africano (KkK, cap. VI, p. 257), relatum ei aliquando est, virum quendam illuc spatiantem statim cecidisse mortuum. Quem cum vidissit Rhazes, plantas pedum ejus et ipse verberavit virgultis et a circumstantibus percuti jussit. Quo factum est, ut horae unius parte quarta vix praeterlapsa, ille se movere coepisset. Rhazes vero secessit. Larga munificentia ac liberalitas ejus summam retulit laudem, ut qui ipse tenuissimo cultu contentus permultis aegrotis pauperibus pecuniam suppeditaverit. Cataracta sive ex plaga loris accepto sive ex nimio fabarum fructu (quod equidem valde dubitaverim) laborans, operationem cataractae fieri voluit: sed chirurgus a medico sene, quot tunicis oculus instructus sit, interrogatus, cum dicere non potuisset, tunc ille, ab eo, inquit, qui hocce cognitum non habet, ullum meis oculis admitti instrumentum nolo, et amicis, quod operatio nihilominus felicem successum habere posset, monentibus, ille, scilicet satis multa, ut satietas et fastidium me capiat rerum humanarum, percepi, respondit. Senex tandem a. 311 vel 320 (923 vel 932) obiit in urbe Bagdad vel in patria sua.

Multa omnino scripsit: praecipua sunt haec: Liber medicinalis Almansoris, conspectus medicinae ex Graecis Arabibusque, decem libros complectens; liber hujus operis nomus diu habebatur pathologiae et therapiae Arabum spectatissimum exemplum: cujus indicem capitibus 97 prodidit Reiske (J. p. 64 sqq.) ex codice olim Goliano, characteribus Hebraicis exarato: agunt autem plura capita etiam de oculorum morbis (cap. 15—30), quorum en argumenta: 15) de ophthalmia; 16) de ulceribus oculorum; 17) de illabentibus in oculos; 18) de albugine, gutta serena; 19) de pterygio; 20) de ardore canthorum; 21) de pterygio; 22) de puncto nigro; 23) de epiphora; 24) de hebetudine visus; 25) de inflatione palpebrarum; 26) de trichiasi; 27) de catarrhis aut cataractis oculorum; 28) de luscitie (nyctalopia); 29) de dilatatione pupillae; 30) de fistula lacrymali.

Alter Rhazis liber est Continens s. Comprehensor, medicorum Graecorum Arabumque de praxi medica apophthegmata triginta voluminibus exhibens, quae cum a sorore post Rhazis mortem emisset Muhammed Ebn el-Amid vezirus, ut a compluribus medicis Rajensibus Rhazis quondam discipulis colligantur, curavit. Liber de variolis et morbillis, vulgo audit liber de pestilentia, qui solus de Rhazis operibus literis Arabicis excusus exstat. Antidotarium, medicamentorum compositiones et praeparationes docens. Divisio morborum s. divisiones de signis morborumque cura breviarium; introductio in medicinam, de physica et physiologia agens. Aphorismi medici, quibus etiam inscriptum est Director. Ceterum inter minora ejus scripta commemorantur: Liber de qualitate oculorum, ubi oculos non lucis esse radios demonstrat et Euclidis de lucis reflexu difficultates recensentur; liber de figura oculi; cur oculorum acies solis obtutu perstringatur, in tenebris vero dilatetur. Praeterea exhibet Ibn Abu Oseibia hos: praestantia oculi prae ceteris custodibus; ad discipulum suum Jusuf Ben Jacub tractatus de medicamentis oculi et tractandi modo; tractatus de curando oculo, ferro adhibito.

Abu Abdallah Muhammed Ben Ahmed Ben Sa'id el-Temimi el-Mocaddesi, Hierosolymis natus, cujus avus jam medicus fuerat, a monacho Christiano medicinam edoctus fuit, et quam maxime occupatus in componenda nova theriaca, quam vitae conservatricem

vocavit, nec non contra pestilentiam complura confectionum et pilularum genera fecit pro principe Arimathiae oppidi, de quibus plures edidit libros. Dein circa a. 360 (970) in Aegypto medicus fuit Jacub Ben Kils, chalifarum el-Mo'iz et el-Aziz veziri: neque a studiis suis pharmacologicis desiit: invenit praeterea etiam remedium stomachicum, quod clavem (s. fontem) laetitiae animique hilaritatis vocavit. Ultra annum 370 (980) ibidem vixisse fertur. Exstat autem ab eo tractatus de natura lippitudinis, deque variis ejus generibus, caussis medendique methodis.

Nosocomio, quod erat in urbe Bagdad et Adhadium vocabatur ex conditore, praefuit Dschabril Ben Obadallah, quem Imperator Adhad ed-Daula Ben Buweih ex urbe Schiraz secum adduxerat. Ibidem postea Dschabril medicinae physicesque professoris munere fungebatur. Quo se postea contulerat, in urbe Majjafarekîn senex octoginta quinque annorum a. 397 (1006) obiit. Scripsit autem praeter pandectas medicinae quinque voluminibus exhibitas, cujus et ipse fecit epitomen, et de sanguine et de cephalalgia, libros etiam de morbis oculorum eorumque remediis, quos principi Deilomitico, cui nomen Chosru Schah Ben Mobader, obtulit.

Ad medicorum oculariorum apud Arabes numerum referendus esse quodammodo nobis videtur, qui jure meritoque eorum censetur chirurgus maximus et celeberrimus, Abul Casim (Albucasis, Bucasis) Chalaf Ben Abbâs el-Zahrâwi, Hispanus, ortus ex vico el Zahrâ ubi domus regia ab Abderrhamano III. exstructa est, prope Cordubam, unde ejus cognomen Alzaharavius. Praxin fecit cum medicam tum chirurgicam Cordubae, et sunt, qui eum Abderrhamani III. chalifae medicum fuisse dicant. Ibidem est mortuus a. 500 (1106), aliis testibus a. 339 (950), aliis a. 404 (1013). Scripsit librum theoricae nec non practicae Alzaharavii, cujus uterque tractatus quindecim habet partes. In medicina multa quidem depromsit a Rhaze, verum ejusdem libri tractatus de operatione manus seu chirurgia Albucasis multa nobis prodit singularia: exstat ejus et editio Arabica et plures versiones latinae et Hebraicae (cf. H. p. 375.). Cujus tractatus pars prima agit de vario cauterii usu, altera et propter hunc Albucasin etiam huc collocandum esse du-

ximus, de reliquis operationibus cultro faciendis, de lithotomia, de herniis, de morbis dentium, nec non oculorum (cap. 4. 5. 8—23); ceterum autem ad morbos oculorum curandos pertinent libri primi caput 13, 14, 16, 17, 18, 19, ubi ad quosdam eorum curandos cauterium commendatur. Tertia denique pars agit de fracturis et luxationibus.

Jam mentio facienda alterius Hispani ex familia Ibn Zohr, quae originem duxit ab gente Arabica vetustissima Ijâd Ben Nezàr, unde eorum quisque nomen gentilitium habuit Ibn Zohr el-Jjàdi. Avenzoari (Abu Merwan Ab del Malik Ben Abul Ala Zohr Ben Abd el Malik Ibn Zohr, s. Abimeron, Abumeron, Abhomeron) medici usu peritissimi filius fuit Abu Bekr Muhammed Ben Abd el-Malik-Ibn Zohr, a. 507 (1113) natus, non minus medicus quam grammaticus insignis. Quem cum ex urbe patria Hispali secum in Mauritaniam duxisset el-Malik el Mansur Jacub Ben Jusuf, versibus nonnullis aliquando inventis, in quibus medicus se procul ab oris patriis vitam ducere tristem conqueritur, princeps non solum salario ejus aliquantum adjecit, sed totam etiam ejus familiam ex Hispania clam advehi jussit, quare medico non opinanti summam objiceret laetitiam. Mortuus est Ibn Zohr die Mercurii a. 595 (d. 14. m. Octob. 1199). Ab eo praeter carmina etiam librum de cura oculorum scriptum esse accepimus.

Ultimus in eorum numero, qui Arabibus maxime florentibus exstiterunt, est Muhammed el Hâfiki, medicus Cordubensis, qui directorem de anatomia et ophthalmia scripsit. Jam sequitur periodus imitationis (600—750) nec invenimus vix aliud quidquam nisi commentarios vel epitomas ex medicorum classicorum operibus factos. Pauci tantum propria protulerunt, ingeniique acie nova ac singularia ediderunt. Primum hic mentio injicienda est brevis, si ordinem sequimur chronologicum, medici Damasceni ocularii circa a. 600 viventis, cujus filius est Ibn Abi Oseibiah Muwaffic ed-Din el-Chasredschi, et cujus frater Reschid ed-Din Abul Hasan Ali, praefuit nosocomio ad suscipiendos oculorum morbo laborantes instituto.

De anatomia oculi scripsit Abu Hàmid Muhammed Ben Ali Ben Omar Nedschib ed-Din el-Samarkandi, medicus celeberrimus, Rhazis Ibn el-Chatib aequalis; interemtus est Tataris urbem

expugnantibus a. 619 (1222). Aliud ejusdem opus de caussis et indiciis morborum praestantissimum Nefîs Ben Audh egregie commentatus est.

Abul-Thena Muhammed Ben Masud Ben Moslih Cotb ed-Din el-Schirazi, ex gente apud Arabes admodum inclyta, a 634 (1236) natus in urbe Schiraz; a patre suo Dhija ed-Din Mas'ud el-Kasruni in nosocomio urbis patriae institutus est; patre autem mortuo ab anno aetatis suae decimo quarto praeceptores habuit patruum Kemal ed-Din el-Cheir el-Kasruni et praecipue Nasir ed-Din el-Tusi. Anno vitae suae vicesimo quarto studiorum caussa suscepit iter in urbes Basra, Bagdad, Damascum et Cahiram. Unde reversus sedem ac domicilium statuit in urbe Tebriz, pariter astronomus, philosophus ac medicus et in praxi facienda et in docendo fuit insignis. Schafeitarum sectam quidem persequens, tamen res divinas derisit, atque in vinum erat pronior. Praeclaro ejus ingenio factum est, ut a principe Ahmed Chan a. 687 jussus legationem illustriorem administraret. Mortuus est in urbe Tebriz a 710 (m. Januar. 1311). Inter plures ejus commentarios librosque astronomicos refertur etiam Tractatus de morbis oculorum eorumque remediis.

Ita etiam de oculo scripsisse fertur Abul Hasan Ali Ben Abul-Hazem Ibn el-Nefis (vulgo Annafis) Ali ed-Din el-Coraschi el-Misri, Schafeita, qui cum Damasci medicinae operam dedisset, ipse eam docuit ex memoria: singulari autem ac tenacissima excelluit memoria, et vel Avicennae praefertur quod ad morborum curam. Idem et juris erat peritissimus et plures composuit de jure libros. Fere octogenarius mortuus est a 687 (m. Decembr. 1288) vel a. 696 (1296).

Eodem fere tempore vixit Canamusali (s. Alcanamusali), Armenicus, philosophus et medicus Saracenicus de Baldach (s. Bagdet i. q. Bagdad), paullo ante quam haec urbs a Tataris (a. 1258) est expugnata. Scripsit de morbis oculi et collegit quodcumque Arabes, Judaei, Chaldaei et Indi hac de re dixerant. Hic autem, quem edidit, tractatus s. liber super rerum praeparationibus, quae ad oculorum medicinas faciunt, et de medicaminibus eorum rationabiliter terminandis in collect. chirurg. Venet. 1499; Venet., per Bonetum Locatellum presbyterum mandato et sumtibus

heredum quondam Nobili viri Domini Octaviani Scoti Modoetiensis. Anno dni. MCCCCC. sext. Kal. Febr., cum Albucasis chirurgia, Guidonis de Cauliaco, aliorumque operibus saepius redit, cf. supra de collect. chir. Venet., ubi de Alio Ben Isa sermo fuit. Septem libros complectitur ejus de ophthalmologia tractatus, quem ipse undique collegisse confitetur, quamquam ipsum morbis oculorum curandis occupatum fuisse ejus verba (ejusd. libr. I. cap. V) luculenter doceant, ubi se operationem cataractae in utroque oculo fecisse narrat.

Anatomia oculi in capite tertio libri primi praestricta statim transit ad numerum infirmitatum, caussas, earumque curationes. Longior est in tractandis medicaminibus, quae quidem in universum et generatim magis libri primi cap. 7—21 enumerat; dein vero non solum, ubi de singulis oculorum morbis sermonem facit, praeparationes medicamentorum exponit, sed versantur propemodum integri libri secundus, tertius, quartus, quintus in describendis tutiis, gumi, unguentis, pulveribus, collyriis (sief) et ad curandos oculi morbos collaudandis. Sexto libro ad pathologiam et therapiam specialem transit; septimo denique undecim capitibus circumscripto de diaeta in diversis oculorum infirmitatibus observanda disserit.

Libri selecti de oculorum morbis, quem fecit Abul-Casim Omar Ben Ali el-Mausili, et cujus mentionem facit Casiri, auctor quo vixerit tempore, plane nos fugit.